10816/A
18
O. XII. 11
18/

42332

JOANNIS ALSTORPHII

J. U. D.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

De


LECTIS

SUBJICITUR EJUSDEM

De

LECTICIS VETERUM

DIATRIBE.



AMSTELÆDAMI,

Apud JOANNEM WOLTERS, cIↃ IↃCCIV.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

ILLUSTRISSIMO NOBILISSIMO

VIRO

MENSONI ALTINCK

Auguſtæ Civitatis Groningæ Conſuli graviſſimo, & cum maxime ſupremæ Hovetmannorum Cameræ Præſidi magnifico.

S. P. D.

JOANNES ALSTORPHIUS.

ELapſi ſunt anni duo, quod binas haſce Diſſertationes ſub præſidio, Viri Celeber-

 rimi

rimi TH. J. ab Almeloveen, defendi atque edidi, tunc temporis illam de *Lecticis* Nomini Tuo, *Vir perilluſtris*, inſcribere non ſum veritus, cum perſpectum ſatis exploratumque haberem, Te gravioribus & Rempublicam ſpectantibus curis feſſum Philologicis ſolere recreare & exhilarare animum exercitationibus, iiſque valde affici: Cum igitur nunc hanc cum illa quam de *Lecticis* poſtea ſcripſi, auctiores promam, ultro, *Vir Graviſſime*, inclytum nomen tuum poſtulat libelli hujus qualiſcunque frontiſpicium. Ad pedes ergo tuos depono juvenilis hujus laboris fœtum primum, fretus mira & incredibili tua adverſus bonarum artium ſtudia, eorum-

eorumque cultores, benevolentia. Quam ſevere enim ipſe illa colas ameſque, luculenter teſtatur, Aurea tua & utiliſſima non minus quam doctiſſime elaborata *Notitia Germaniæ inferioris*, in qua ne quidem Momus, quod carpat, inveniet, quam inter vexatiſſimas reipublicæ curas compoſuiſti, & in lucem emiſiſti. Plura ſuper egregio & incomparabili hoc opere hic dicerem, niſi Genium noſſem tuum adulationes averſantem & reſpuentem. Nihil hic addam de egregio tuo de Republica bene merendi ſtudio, quod longa annorum ſeries abunde teſtatur. Sileo de alta & profunda eruditione tua. Taceo quan-

topere propter admiranda tua de Republica merita à ſubditis colaris, & quod inſtitutum eſt meum, ſubmiſſe, Te, vir Ampliſſime, obſecro, ægre ne feras paucis hiſce plagulis præfulgere illuſtre nomen tuum, longe majoribus dignum, & literato orbi ſatis notum, exiguumque hoc opuſculum rutilantibus nominis tui radiis illuſtrari. Accipe iterum, ut antea, ſerena fronte, perpetuum obſequentiſſimi animi mei hoc ſymbolum,

Donec quid grandius ætas
Poſtera, ſorſque ferat melior.

Et ad exemplum Artaxerxis, Perſarum Regis, non tam parvum hoc donum, quam donantis

nantis conſidera animum, ut ita alia tentandi animus mihi addatur.

Quod ſupereſt, Deum T. O. M. ſupplex venerabor pro ſalute & incolumitate illuſtris perſonæ tuæ, & ex toto corde voveo, ut tam in Reipublicæ Groninganæ, quam literariæ emolumentum ac decus ſingulare, nobis adhuc lætiſſime, & quam diutiſſime ſis ſuperſtes, Valeas, Vigeas ac floreas. Dabam Groningæ in muſæo, quarto Iduum Junii clɔ Iɔcciv.

PRÆFATIO

AD

LECTOREM

MEmoriæ humanæ utpote valde labilis adjuvandæ cauſa jam ab antiquis temporibus varia remedia excogitata & inventa ſunt, nullum autem magis commodum, nullum utilius, laudabili illo more conficiendi excerpta vel adverſaria, in quæ referimus ea, quæ notatu digna, alias ſolita hominis oblivio texiſſet.

xiſſet. Hac enim via optimos ex antiquis ſcriptoribus floſculos excerpimus, iiſque nos recreamus, eorumque aliquando odore aliorum nares ſuaviter afficimus. Hoc pacto clare videmus quot nova non quotidie inveniantur, quæ tamen ſunt vetuſtiſſima, & temporum injuria tantum obliterata. Hoc modo ex antiquis lucem damus ſcriptoribus priſcis, imo & nova illuſtramus. Cum igitur & ego memoriæ meæ labilitatem agnoſcerem, veterem hanc conſuetudinem mihi profuturam credidi, & omnia quæ inter legendum elegantia mihi viſa fuere, annotavi, videns paulatim mire accreviſſe illa folia quæ Lectis & Lecticis Veterum *deſtinaram, de*

utraque confeci Diſputationem Philologicam, quarum unam A. D. XVII. *Kal. Julii*, CIↃ IↃCC. *alteram A. D.* XII. *Kal. Junii*, CIↃ IↃCCI, *ſub præſidio Viri Celeberrimi, TH. Janſſonii ab Almeloveen, Medicinæ, Hiſtoriarum, Eloquentiæ & Græcæ Linguæ, in illuſtri Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ, Academia, quæ Harderovici eſt, Profeſſoris Ordinarii, Præceptoris mei ſummopere colendi, examini ſubjeci publico. Reſervaveram tunc temporis varia ſuper his materiis, quæ typis deſcribi nolebam, ne nimium excreſcerent hæ diſputationes, quibus alia addenda, additaque cum reliquis per modum libelli edenda,*

con-

conſuluit Clariſſimus Almelovenius, ſuffragantibus itidem amicorum meorum votis: quod cum propter curiam librorum ſupellectilem, (quam ex bibliotheca mea in uſum Academicum ſelegeram, juri ſub auſpiciis Celeberrimi Weſtenbergii, cognati mei plurimum honorandi, fautoris eximii, operam daturus) fieri poſſe negarem, ſtatim obſtaculum hoc removit Celeb. Almelovenius, concedens mihi libertatem toties adeundi inſtructiſſimam & copioſiſſimam ſuam bibliothecam, quoties voluiſſem, & neceſſe haberem, indeque mecum auferendi libros, quos opuſculo huic expoliendo fore neceſſarios judicabam, cum igitur varia jam addidiſſem prioribus, Groningam re-
 ver-

verſus, proprium quoque excuſſi librorum penu, num quid adhuc de Lectis *vel* Lecticis Veterum *invenirem, nec ſpes fefellit: occurrebant enim adhuc quædam notatu digniſſima, ſparſim ab auctoribus obſervata, quibus & ego illa quæ antea collegeram exornavi, ſicque tandem natus & à me genitus hicce libellus. Dico quidem, quod à me ſit genitus, id tamen nolo capias, quaſi omnia quæ heic collecta vides, è cerebro ſint prognata meo, ſed ex magna librorum copia quæſita, & in hunc ordinem redacta, interſperſis tamen variis hactenus, quod ſciam nondum, obſervatis.*

Exiguo igitur hoc opuſculo contentus ſis, enixe rogo, Benevole

Lector,

Lector, majus potuiſſet prodire, ſi, ut ſuper aliis ſelectis ex antiquitate materiis, variæ ſuper his extarent Doctorum diſquiſitiones, ſed ignoro aliquem hactenus ex profeſſo hæc argumenta tractaſſe, niſi Caſaubonum, qui de Lectis & ſtragula veſte *editurum ſe commentarium promiſit ad Lampridii Heliogab. Cap.* 19 *aſt certiſſime conſtat, publicam non vidiſſe lucem, quam illi auctor parabat, ſed in tenebris manſiſſe: Ecce igitur noſtrum de* Lectis *libellum, cum breviſſima de* Lectiſterniis *diſſertatione, & uberiore diſquiſitione de* Lecticis. *Videbis in hiſce diſſertationbus, quod aliquando maxima ſit inter* Lectum *&* Lecticam *differentia, interdum tamen*

 men

men unum idemque denotet, ut adeo Lectus *pro* Lectica *ſæpe recte ponatur. Promiſſis igitur nunc ſto meis exhibeoque binas illas diſſertationes*, auctiores & emendatiores. Auctiores *eſſe cuilibet manifeſtum eſt, ut* & emendatiores. *Poſtquam enim eas de novo edere conſtitui, anxius inquiſivi, numquid minus recte, numquid perperam poſueram, clareque perſpexi, veriſſimum eſſe, quod inquit Publius ſyrus:* Diſcipulus eſt prioris poſterior dies. *Cum varia quæ tunc temporis veriſſima & certiſſima judicabam, falſiſſima deprehenderim, ideoque vel rerum circumſtantias, vel integram etiam ſuper quibuſdam rebus ſententiam meam mutavi. Licet nullus dubi-*

tem

tem errores quidem adhuc me commiſiſſe, quos æquo animo ferre ut velis expeto, omnium enim habere memoriam, & in nullo penitus peccare, divinitatis magis eſt quam mortalitatis. *Interim Tu B. L. his qualibuſcunque utere, fruere, & conatibus noſtris fave. Vale Scripſi quarto Iduum Junii.* CIↃ IↃCCIV.

IN

INDEX
CAPITUM.

In Diſſertatione de Lectis.

CAp. I. De lectis cubicularibus, quomodo ſternebantur & differebant.
II. De ſcamnis quibus in lectos aſcendebant.
III. De ſponda & pluteo.
IV. De Fulcris lectorum.
V. De more dormiendi in pellibus.
VI. De Culcita.
VII. De Pulvino.
VIII. De Stragulis.
IX. De Toralibus, ſive Cortinis.
X. De Lectorum ornatu.
XI. De Lectorum uſu extraordinario.

XII.

XII. De Cubiculariis.
XIII. De Lectis Nuptialibus.
XIV. De Cunis, ſive Lectulis infantum.
XV. De Lectis Tricliniaribus.
XVI. De Lectiſterniatoribus.
XVII. De Lectis Penſilibus.
XVIII. De Lectis Igneis.
XIX. De Lectis Funebribus.
XX. De Lectiſterniis.

In Diatriba de Lecticis.

CAp. I. De Lectica in genere.
II. De duobus Lecticarum generibus, Aperta & Tecta.
III. De Apparatu Lecticarum.
IV. A quibus inventæ ſint Lecticæ.
V. De tempore quo in uſu venerunt

nerunt Lecticæ, & quales perſonæ iis fuerunt uſæ.

VI. De Occaſionibus in genere quibus veteres hoc vehiculum uſurparint, & in ſpecie de more portandi in iis ſimulacra Deorum, & ex iis jus dicendi.

VII. De Lecticis voluptatis gratia adhibitis, earumque uſu in ingrediendis itineribus.

VIII. Quomodo lecticis utebantur ægrotantes.

IX. De Ægrorum Lectica duplici, Portatoria & Fertorio.

X. De Lecticis Dormitoriis & Lucubratoriis.

XI. De Lecticis Militaribus, & iis quibus noxii ad ſupplicium deferebantur.

XII. De Lecticis quibus efferebantur mortui.
XIII. De Lecticariis, ſeu Lecticruam bajulis.
XIV. De Lecticariis, ſeu bajulis funerum.
XV. De Lecticarum Confectoribus ſeu fabricatoribus, aliiſque ad hanc materiam pertinentibus.

DIS-

DISSERTATIO PHILOLOGICA
DE
LECTIS VETERUM.

Cap. I.

De lectis cubicularibus, quomodo ſternebantur & differebant.

LEctus, dicitur *vel à collectis foliis ad cubandum: Vel quod fatigatos ad ſe alliciat; Vel à Græco λέκτρον.* Feſtus in voce *Lectus.* Mihi tamen, cum Dacerio ad hunc Feſti locum ultima derivatio maxime placet.

Lectus quid ſit, cum cuilibet conſtet, ulteriore non indiget indagine, aut prolixiore deſcriptione. Dividimus lectos, in *Cubiculares, Nuptiales, Infantum, Tricliniares, Penſiles, Igneos, & Funebres,* quos ſingulos in ſequentibus ſumus deſcripturi.

Lectus *Cubicularis* erat, in quo nocturno tempore ſomnum capturi veteres, membra diurnis laboribus delaſſata & quaſi fracta reponebant quieſcenda.

Erant hi duplices: alii *humiliores*, alii *altiores*. De humilibus elegans eſt locus apud Suet. in Auguſto. c. 73. *Nec toro quidem cubuiſſe ajunt, niſi humili.* Ne autem quemquam offendat hic occurrens vocabulum, *Torus*, paulo accuratius demonſtrabimus *Torum* apud antiquos ſignificare ipſum *lectum*, idque ex eo ſatis arbitror cognoſci, quod olim ex tortis herbis fieret, uti tradit Iſidorus Orig. lib. 20. cap. 1. *Torus ab herbis tortis dictus eſt.* Servius ad Virgil. lib. 5. Æneid. verſ. 388.

Proximus ut viridante toro conſederat herbæ.

Sic & Apulejus Met. lib. 5. in pr. de Aſino aureo. *Pſyche teneris & herboſis locis [in ipſo] toro roſcidi graminis ſuave recubans, tanta mentis perturbatione ſedata*

data dulce conquievit, jamque ſufficienti recreata ſomno, placido reſurgit animo. Idem Lib. 4. num. 35. *Qui mecum primis ab annis nutritus & adultus, individuo contubernio domuſculæ, imo vero cubiculi, torique, ſancta caritatis affectione, mutuo mihi pignoratus.*

Quod autem quidam (inter quos Faber, in Theſ. Erud. Schol.) *torulum* interpretentur *parvum lectum*, non ſatisfacit, nec unquam hæc mihi vocis hujus ſignificatio occurrit, illud tamen non ignoro, apud Amm: Marcellinum Lib. 29. in hiſce: *Hac linteis quidam indumentis amictus, calceatuſque itidem linteis ſoccis Torulo capite circumflexo, verbenas felicis arboris geſtans, libato conceptis carminibus numine præſcitionum auctore, cæremoniali ſcientia ſuperſiſtit.* Et Alibi: *Chonodomarus, nefarius belli totius incenſor, cujus vertici flameus Torulus aptabatur*, ſumi pro *ſtroppo ſacerdotali*, uti docuit me Ampliſſimus & Nobiliſſimus Cuperus in


Apoth. Homeri pag. 139. Quid autem per *Torulum* intelligendum ſit apud Plautum in prologo Amphitr. ubi ita ait:

Meo patri autem torulus inerit aureus
Sub petaſo.

Variæ ſunt eruditorum ſententiæ. Voſſius in Etymol. ut & Scaliger interpretantur *funiculum*, Calepinus *Lectum parvum*. Quæ ſententia meo ſaltem judicio non poteſt admitti, quomodo enim lectus ſub petaſo? quia igitur hoc ipſe forſan non poſſe procedere vidit, ad neſcio quem interpretem ac criticum confugit, qui *Trochylum* ſubſtituit. Lambinus melius aliquanto iſtis verbis: *Torulum videtur mihi Plautus pro parvula torque toruli ejus, qui eſt in arboribus ſpeciem præbente, poſuiſſe, aut pro funiculo aliquo retorto, aut parvo nodo.* Sed nec hoc mihi ſatisfacit, nam *torulus* non à *torque*, ſed à toro, & torques non ſub petaſo ſed in collo. Schefferus de *Torquibus cap.* 1. putat

in

ind. l. *torulum* nihil aliud eſſe, quam *cinnum parvulum intortum, qui vel referebat colore vel implexum habebat aurum, ritu veteri. Ita enim*, pergit, *conſueverant Græci cumprimis Attici*, deinde hoc ſibi fundamentum ponit, quod *fabula Amphitruonis a Plauto verſa ſit ex Græco.* Nec male ſignum hoc ab auctore ejus Jovi tributum exiſtimat, *cum cinnis*, ait, *vetuſtiſſimi Græcorum uterentur, ac nobiliſſimi, atque adeo vetuſtatem & nobilitatem Jovis indicare poſſet.* Ego nullus dubito quin locus ille capiendus ſit de ſtroppo, qui qualis fuerit docet Feſtus; *Stroppus*, ait, *quod Græce dicitur ϛρόφιον, pro inſigni ponebatur in capitibus ſacerdotum, alii id coronam eſſe dixerunt.* Maximeque noſtram confirmat ſententiam, quod Jovem cum ſtroppo conſpiciamus in nummo quodam quem ex Patino nobis oſtendit, Ampliſſimus Cuperus in Apotheoſi Homeri pag. 138. Quemque & nos hic exhibemus.



De ſtroppo ſi plura vis, vide omnino docte, ut ſolet, diſſerentem, Celeb. Cuperum. d. l. ſed a *torulo* iterum ad *torum*.

Dixi ſupra *torum a tortis herbis eſſe dictum*, *torum* tamen & *tortum funem* ſignificare, lectoſque aliquando funibus tenſos, cum Scaligero in Conject. ad Var. de L. L. p. 61. Voſſio, Servioque crediderim, ut adeo ſine ratione putem Schefferum de Ant. Torq. Cap. 1. reprehendere ſuper hac re Scaligerum. Erratque clariſſime

riſſime Schefferus, quando dicit funibus tendi lectos, *adeo inſolens & inuſitatum fuiſſe apud veteres, ut ingenti probro Alcibiadi ſit verſum.* Genuinum enim horum verborum ſenſum longe eſſe alium, erudite demonſtrat Ampliſſ. Cuperus in Apoth. Homeri pag. 140. cujus hæc „ſunt verba: & denique Alcibia„dis factum longe aliter interpre„tandum eſt. Neque enim talem „ob lectum abſolute carpitur, ſed „vitio ipſi vertitur quod in triremi„bus, in quibus lectos aſſeribus in„jicere ſolebant, faſciis vel inſtitis „ad mollius cubandum uteretur, „Ἐκτομὰς τε καταςρωμάτων ἐν ταῖς Τριή„ρεσιν ὅπως μαλακότερον ἐγκαθεύδοι κει„ρίαις, ἀλλὰ μὴ σανίσι τῶν ςρωμάτων „ἐπιβαλλομένων, *inciſuras conſtrati na„vis in triremibus, quo mollius cuba„ret, ſtragulis injectis faſciis vel reſti„bus, non aſſeribus.*

Dixi modo quod *aliquando & lectos funibus vel loris tendebant*, idque firmo

ex Lucilio Lib 6. Satyr. *Tres à Deucalione grabati reſtibus tenti.* Hinc & Horatius: *Tenta cubilia tectaque rumpit.* quod explicat Porphyr. *Lectus reſtibus ſive faſciolis ſubtentus.* Gloſſæ Iſidori ejuſmodi reſtes vocant *Inſtitas.* V. Auſonius Popma ad Catonem de Re Ruſt. p. 161. Et Meurſ. ad eundem pag. 259.

Torum igitur ab herbis tortis dictum, & ego cum Iſidoro *Orig. Lib.* 20. *Cap.* 1. Et Varrone *Lib.* 1. *de vita pop. Rom.* teneo, illud tamen oblitus ferme fueram monere, eundem Varronem *lib.* 4. *de Ling. lat. pag.* 40. ſibi ipſi eſſe contrarium, ibi enim *torum* derivat *a torvo, quod is in promptu.* Ab herbis autem tortis torum dictum patet ex eo, quod frondibus torum ſternere ſolitos veteres, indicare videatur Juvenal. ſat. 6. verſu 9. de ſæculo aureo:

Silveſtrem montana torum cum ſterneret uxor

Fron-

Frondibus, & culmo, vicinarumque ferarum Pellibus.

Sic ſubſtraviſſe ſibi στιβάδας, i.e. *toros gramineos*, teſtis eſt Ariſtophanes in Plut: vel ut Poſidonius apud Athenæum *Lib.* 4. *Cap.* 13. refert χόρτον. i.e. gramen, unde ϛορέσαι λέχος, ϛρῶσαι κλίνην, & ſimpliciter ϛρῶσαι dicuntur. Unde & Lucretius.

Strata cubilia herbis & frondibus aucta.

Propertius

Strato vidiſti Lydame lecto.

Ab illa συλλογῇ demum appellata eſt λεχαια, ſcilicet πόα, id eſt, *herba collecta*, ut inde lectus ſterneretur. Videmus hic idem quod Propertio eſt *lectus*, apud Juvenalem audire *torum*, apud Lucretium *cubile*, & tamen idem ſignificatur, & nomine adhuc alio etiam vocabatur *thalamus*. (de quo infra pluribus agam) Illud tamen notatu dignum puto, quod cubile pro lecto & hominum & ferarum uſurpari videam,

deam, in priore ſignificatione invenio apud Lucretium d. l. & Senecam *de Tranq. Animi lib.* 1. *cap.* 1. In poſteriori, pro *cubili ferarum* apud Phædrum *lib.* 1. *Fab.* 19. *lib.* 2. *Fab.* 4. *lib:* 3. *Fab.* 2. *lib.* 4. *Fab.* 19. Sed neſcire me fateor, quid ſibi velit Calvinus in Lexico, voce *Lectulus: Cicero* ait, *diſtinguere videtur lectulum & cubile: Ut lectulus ſit interior & charior quam cubile.*

Dixi modo *quod cubilia ſtraverint ex herbis*, id tamen & de foliis intelligendum eſſe mox dicam, ſic & mulieres Atticæ in Theſmophoriis è viticis foliis cubile ſibi apparabant, ut eſt apud Dioſcoridem Lib. 1. cap. 26. V. Feith. Antiq. Homer. Lib. 3. cap. 8. in fine.

Sed quoniam in ipſo limine difficultates videntur quædam obſtare, antequam pergam, enarrandum mihi erit, cum torum ab herbis tortis dictum monuerim, quid intelligam per herbas. Has voco juncos (un-

de Juncium Lectile. Iſidor. in Gloſſario) vel folia, vel ſummitates arundinum, è quibus hodie toros ſuos aliquando nautæ faciunt, funium inſtar primum tortis, mox in latitudinem idoneam conſertis. Deinde priſcos nonnunquam ſtramentum adhibuiſſe, imo quoſdam etiam nunc uſurpare.

De priſcis teſtatur Plin. lib. VIII. cap. 47. *Antiquis torus è ſtramento erat, qualiter etiam nunc in caſtris.* Sic & militum lecti erant ex ſtramento & alga, quibus colligatis, ſuper iis tapetem ponebant villoſum, ut docet Varro lib. 4. de Ling. Lat. Et Plin. D. L. 8. Qui lecti à Græcis dicebantur χαμεύναι & ςιβάδες. Unde adagium ςιβάδες Φορμίωνος, apud Suidam. Plutarchus de Camillo in caſtris cubante: ἀλλ᾽ ἀναθερῶν ἐκ τῆς ςιβάδος: Et ob hanc cauſam Syneſius in Oratione de Regno, milites χαμευνοῦντας appellat. Hi militum lecti longi erant vulgo ſex pedes, lati

tres, juſta enim militaris ſtatura ſex vel utique quinque pedum & undecim unciarum habebatur. Teſte nobis R. H. Schelio in *Notis ad Hyginum pag.* 2. *Edit. in* 4. *In Theſ. Ant. Rom. Celeb. Grævii. Tom.* 10. *pag.* 1027. *lit. C.*

Stramentum autem diſponendi modum ſi requiras, putem hunc fuiſſe. Non reponebatur cumulatim in fulcris, ut hodie fit, nec ſacco è centonibus inſerebatur, ſed eo quo proxime dixi ordine contortum, aptabatur in uſum lectorum, & prorſus referebat ejus rei imaginem, quam & veteres olim, *mattam* (V. Ovid. 6. Faſt. ℣. 261. *In plauſtro ſcirpea matta fuit.*) & nos hodie, vernaculo vocabulo *Matten* appellamus.

Hoc modo modo confectos deponebant in terram, unde *humiles* fuiſſe recte colligitur, illud enim conveniens erat duræ antiquorum vitæ, iſque mos poſtea longo tempore in caſtris eſt ſervatus, ut docent ſupra

pra adducta Plinii verba. De humilibus hiſce lectis intelligendus Ovid. lib. 1. Amorum, ubi militiam amantum cum armata comparat. *Pervigilant ambo: terra requieſcit uterque.* Et Amm. Marcell. lib. 25. *Relictoque humi ſtrato cubili, adulta jam excitus nocte, &c.*

Ut in hos humiles ſcanſione ſimplici aſcendebant, Varro de L. L. 4. pag. 40. ſic quod Alii eſſent alti, in eos appoſitis ſubſelliis ſeu menſis: Alii altiores, in eos gradibus pluribus aſcendere cogebantur. Probat hoc Virgilii interpres Servius ad Æneid. 4. 685.

Gradus evaſerat altos.

Aut, inquit, *quia lecti antiquorum alti erant & gradibus aſcendebantur.*

CAP. II.

De ſcamnis quibus in lectos aſcendebant.

HAc occaſione paucis agam ſimul, de ſcamnis, & ſcabellis. Scamna Voſſius in Etymologicodicit: *alta fuiſſe editaque, ut ſcandere opus eſſet.* Verum vix hoc credere poſſum, propriamque ſuam deſtruit ſententiam, per ab ipſo & à nobis modo adductum locum Varronis de L. L. qui ita ſe habet: *Quia ſimplici ſcanſione ſcandebant in lectum non altum, ſcabellum, in altiorem, ſcamnum, duplicata ſcanſio gradus dicitur.* Utique non dicit hic Varro, ſcamna fuiſſe alta editaque, ut ſcandere opus eſſet, verum in lectos altos editioreſque ope ſcamni ſcandiſſe. Lectos ergo triplices facit d. auctor: alios ſcilicet *humiles*, alios *altiores*, alios *altiſſimos*, ut conſcenderent in humiles, adhibuiſſe ait *ſcabella*, quæ ſunt ſcamna minora & humi-

humiliora: Ut in altiores adhibuiſſe *ſcamna*: Ut in altiſſimas, uſos fuiſſe *gradibus*. Simulque notat diverſitatem ſcamni & gradus, quod nempe gradus duplicem haberent ſcanſionem. Et dubio procul hinc gradus dicti ſunt. Duplicem enim ſcanſionem faciunt duo illi gradus, è quibus conſtabant qui ἁπλῶς gradus dicebantur: in quo differebant à ſcalis: *Scalæ* habebant gradus plures, i. e. tabellas, alteram alteri certis intervallis in altum impoſitas, quibus inſiſtentes enituntur ſurſum, qualis Belgis vocantur *Ledders*; *Gradus* vero non habebant niſi duas. *Scamna* vero non niſi unam tabulam, ejuſmodi Belg. *Scabellen*, *voetbanckjes*. Si igitur unum tantum iſtiuſmodi habuerunt gradum, profecto non fuerunt alta, ut ſcandere opus fuiſſet, ſed proſus humilia. Itaque & *ſubſellia* dicta. *L. 2. Lib. 3. Cod. Theodoſ. De Contr. Empt. Uti etiam ſi ſubſellia, vel ut vulgo ajunt, ſcamna*

mna vendantur. Subſellia illa non fuerunt alta, ſed minora *Sellis.* Varro *Lib.* IV. *de L. L. p.* 32. *Ut ſubſipere, quod non plane ſapit, ſic quod non plane erat ſella, ſubſellium dicebatur.* Fuit ergo minus ſella. Idem ergo & de ſcamno judicandum. Ideoque & ſcamnis appoſitis in ſellas aſcendebant, i. e. ſubſelliis. Iſidor. *Lib.* 20. *c.* 11. *Scamna ſunt quæ altioribus lectis apponuntur, dicta à ſcandendo, hinc & ſcabella, quæ lectis parvis vel ſellis ad aſcenſum apponuntur.* Scabella dicit, ſive ſcamna parva apponi ſellis, & ſubſellia intelligit. Subſellia enim ſcamna & ſæpe ſcamna parva, i. e. ſcabella; dicta ſcamna quia ſuper iis aſcendebant in lectum, ſubſellia vero, quia erant ſimul ſellæ minutæ, humileſque, ac in iis etiam ſedebant. Teſte Suet. in Claud. c. 23. *Medium inter Conſulum ſellas, Tribunitio ſubſellio ſediſſe.* Hinc Heſychius ταπεινὰ δίφρια, ὑποπόδια, *humiles ſellæ, ſcabella.*

Non poſſum hic ſilere inepte quoſ-

quoſdam exiſtimare, per *fulmenta* intelligi *gradus quibus in lectum ſcanditur*. Teſte Voſſio in Etym: voce *Fulcio*. V. & Scheff. de Re. Veh. 2. 4. & Chimentell. de Hon. Biſ. cap. 21. (*In* Theſ. Anti. Rom. Celeb. Grævii Tom. 7. pag. 2095.

CAP. III.

De ſponda & pluteo.

A Lateribus binæ erant tabulæ, quarum anterior ſeu exterior vocabatur Sponda: Interior vero Pluteus. Unde apud Horat. Epod. Epigr. 3. *Extrema ſponda cubare*, eſt, in extrema parte lecti. Spondam præterea Lecticam ipſam ſignificare, quemadmodum & *Sandapilam* ac *Feretrum* memini. Hoc ſignificatu. Martial. 10. Ep. 5. *Orcinianam ſpondam* dixit, i. e. thecam, vel capulum ex impolitis lignis ſeu viminibus contextam interprete Cælio Rhodigino. *Ant. Lect.* 10 18. quam po-

potius Feretrum ſeu ſandapilam, qua interfecti in arena gladiatores ſeu buſtiarii interempti non ad ſepulturam, ſed in *ſpoliarium* efferebantur, exponit Jacobus Nicolaus Loenſis. *Miſcell.* III. c. 3. De Sponda ita.

Artemidorus. *τῶν ἐνηλάτων τὸ μὲν ἔσω ἰδίως τὴν γυναῖκα, τὸ δε ἔξω τὸν ἄνδρα ἐνδέχεται. Sponda interior fœminam, exterior virum excipit. Martialis.*

Exciduntque ſenem ſpondæ qui parte jacebat,
Namque puer pluteo vindice tectus erat.

Pluteum vocat ſpondam interiorem. Ita & Dolabella vocavit Cæſarem *ſpondam interiorem regiae lecticae*: Suet. in Jul. cap. 49. v. Bulleng. de Conviv. cap. 14. Sponda etiam aliquando ſumitur pro *interiore lecto*, teſte Voſſio in Etymol: ſpondæ eburneæ, auro vel teſtudine tectæ mentionem facit Philo Judæus *de leg. ſpecial. pag.* 772. *Edit.* 1691. Spondam præterea & thalamum

lamum ſcilicet conjugalem, denotare quidam volunt, vocabulum *ſponda* à *ſpondendo* deducentes.

CAP. IV.

De Fulcris lectorum.

UT igitur nunc de fulcris lectorum accuratius agamus ordo poſtulat. Fulcrum varie accipi apud antiquos video. Iſidorus *lib.* 19. *cap.* 26. *fulcra à fulciendo ea lectorum ornamenta* vocat, *quibus fulcimur & ſuſtinemur, eaque in quibus tori ſuſtinentur.* Quæ Belgæ vocant *Onderlaegen.* Et ſane non eſt incredibile, ita quoque aliquando hoc vocabulum fuiſſe acceptum, ſed male, meo ſaltem judicio, vocat *fulcra lectorum ornamenta.* Ea enim tantum ab ipſo lecto ejuſque ſtragulis tegebantur, ac proinde non ſerviebant ad ornandum lectum ſed fulciendum, in quem finem minime ornatus erat neceſſarius.

Ipſos

Ipſos quoque lectorum pedes fulcra interdum fuiſſe appellatos non negaverim, motus in primis hiſce Pauli JCti in *l.* 26. §. 1. *de Acquir. rer. Dom. Proculus indicat, hoc jure nos uti, quod Servio & Labeoni placuiſſet: in quibus propria qualitas expectaretur, ſi quid additum erit toto cedit, ut ſtatuæ pes, aut manus, ſcypho fundus, aut anſa, lecto fulcrum, navi tabula, ædificio cæmentum, tota enim ejus ſunt, cujus ante fuerant.*

Et Ulpiani in *L.* 52 §. 9. *ff. de Leg.* 3. *Sunt tamen quædam quæ omnino legatum ſequuntur, ut lectum legatum contineat & fulcra, & armariis & loculis clauſtra & claves cedunt.* In qua lege ſimul notandum lectum neutro genere poſitum, obſervatore Doctiſſimo Briſſonio. Apparet expreſſe leges ferre JCtos *fulcra lecto legato ceſſura.* Quod non eſt præſumendum de fulcris quibus tori fulciebantur, ſed de pedibus lectorum intellexiſſe JCtos, fulcra enim illa erant parvi momen-

momenti, viliorisque pretii, ideoque non tam credibile eſt ſuper eis has leges eſſe latas, quam ſuper lectorum pedibus (ſcio tamen & ſuper rebus viliſſimis leges decidere, non obſtante eo quod vulgo elicitur ex *L.* 4. *ff. de Reſtitut. in integ. Et L.* 9. *&* 10. *de Dolo Malo*) *Prætorem minima non curare.* Juvat hanc noſtram quoad *d. l.* 26. §. 1. *& l.* 52. §. 9. conjecturam, antiquos fulcra hæc ſeu pedes conſici juſſiſſe aliquando ex ipſo argento, ut docet Iavolenus in *L.* 100. §. 3. *ff. de ſupell. Leg. Cui teſtudinea legata eſſent, ei lectos teſtudineos pedibus inargentatos deberi, Labeo, Trebatius reſponderunt: quod verum eſt.* De quo autem lecto cubiculari an tricliniari hæc lex ut & modo adductæ duæ leges, capiendæ ſint, dubium me eſſe fateor, quanquam propter faſtum & oſtentationem magis, veroſimile videatur de tricliniaribus quæ de die quam cubicularibus qui de nocte uſur-

ſurpabantur, propter mollitiem tamen & in omnem luxum efferveſcentes animos hominum iſtius temporis, de cubicularibus forſan etiam intelligi poſſunt.

Hos lectos laminis etiam teſtudineis inveſtiri interdum curarunt, quod invenit Carbilius Pollio, auctore Plinio *Hiſt. Nat.* 9. 11. Qui idem tradit ſub Nerone primum ligno ebur inſertum *Lib.* 16. *cap.* 43. illud ſimul huc pertinere putavi, quod Plinius *d. Lib.* 16. *c.* 43. portentoſa ingenia vocet, quæ materiam ad lectos in mari quæſivere, teſtudinemque in hoc ſecuere. Laminas illas teſtudineas ligni colore pingebant. Salmaſ. *Exerc. Plin. pag.* 296. Fulcrorum quoque Adamantinorum meminit Nicolaus Gerbelius in elegantiſſima de Aranea & podagra Fabula, quam exhibet nobis Camerarius *in Narrat. Æſopic. p.* 215. Ubi omnino intelligo pedes, nimis enim prætioſi ſunt adamantes qui in obſcu-

obſcuro ſint in fulcris lectorum, ſed procul dubio ad majorem luxum ligno fuerunt inſerti, ut niterent, & paululum eminerent e ligno, quod ſi hoc fuiſſet in fulcris, Belg. de *onderlaegen*, ſane cubanti nimis durum foret prætioſum hoc fulcrum: fulcrorum quoque ſeu pedum ex onyche factorum meminit Plin. *Lib.* 37. *cap.* 7.

Notatu dignum puto, a ſuperſtitioſis fulcra lectorum cubicularium, in Mercurii imaginem fuiſſe efficta, quæ Hermines dicebantur, ad conciliandum ſomnum. Suidas in voce ἕρμις. Heſych. in Ἕρμινα, πόδα κλίνης ἀπὸ τοῦ ἐνείρεσθαι τῷ ἐνηλάτω, ἢ ἀπὸ τοῦ Ἑρμᾶς ἐγγεγλύφθαι. Mercurium enim ſomni præſidem putabant, unde in conviviis ultimum poculum (Ἑρμῆς poculum dictum) bibere ſolitos veteres ex Polluce, Homero, & Athenæo, docet Stuck. Ant. Conv. pag. 628. Et Nicol. de Stat. Mercur. pag. 27. Vid. & Cl. Alme-

Almelov. in Amoen. Theolog. Philolog. pag. 208.

Ut autem eo magis placerent præſidi ſomni imaginario, antequam ad lectum ſe recipiebant, ei libabant. Longus in paſtoralibus de Daphne & Chloe Lib. 4. pag. 243. Et ad eum locum ex Heliodoro Lib. 3. Æthyopic. Athenæo Lib. 1. Cap. 14. in pr. Homero Odyſſ: η. verſu 136. abunde probat Doctiſſimus Petrus Mol Notarum pag. 115. V. & Saubert. de Sacrif. Cap. 3. p. 48.

Sunt & qui *fulcrum* Synecdochice pro *ipſo* lecto ſumunt. Hinc Juvenalis *Sat.* 6. *verſu* 22.

Sacri Genium contemnere fulcri.

hoc eſt, *violare ſanctitatem fidei conjugalis*, ut adeo fulcrum hic torus ſit, ſive lectus genialis.

CAP.

CAP. V.

De more dormiendi in pellibus.

UT autem eo major ratio haberetur commoditatis cubantium, (ut ante dixi) dormiebant primo ſuper herbas tortas, ſtramentum, pelleſque, quod poſtremum maxime notatu eſt dignum, inde enim vox *dormire* nata, quia δέρμα pellem ſignificat. Hinc Epicharmus apud Athenæum l. VI. 8. *ἐπεὶ δ' ἦκον οἴκαδ' εἰς τὰς διφθέρας ἄτρωτος εὕδω. poſtquam domum veni, ſuper ſtratas pelles illæſus dormio;* de pellibus ita & Virg. 7. Æneid.

Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque
petivit.

Poſtea inventis lectis, culcitis, & veſtibus, ſtragulis (de quibus mox dicam) pauperibus relictæ ſunt pelles. Unde fortaſſe natum illud adagium: *Intra tuam pelliculam te contine*, quod alii tamen aliter explicant,

cant. De more dormiendi in pellibus vide docte quædam notata apud Feithium in Antiq. Homer. Lib. 3. Cap. 8. Ludovicum de Lacerdam ad Virgilii Æneid. Lib. 7. verſum 87. Et Magium in Miſcell. Lib. 3. cap. 7. §. 3. Pellium quoque uſus in ruſticorum fuit ſtratis teſte Homero Odyſſ. 14. Idem tamen & in lectis ditiorum agnoſcit Odyſſ. 1. & 19. Similiter Cato, corium unum requirit, quod injiceretur epidromo, ſive texto funeo, in quo ſervus cubabat. Auſonius Popma in Notis ad Catonem de Re ruſtica Cap. 13. pag. 163. In ſtipula quoque cubaſſe alibi me legiſſe memini

Nec pudor in ſtipula placidam cœpiſſe quietem
Et fœnum capiti ſuppoſuiſſe fuit.

Capiti enim & ceſpites aliquando ſubjiciebant, loco pulvini, (de quo mox.)

CAP.

CAP. VI.

De Culcita.

ILlud in quo quieſcebant uno nomine *culcitra* vel *culcita* dicebatur, nomenque fert ab eo quod in ea ſagum tomentum, quod propriè erat ex ciliciis pilis, aliudve quid (poſtea) inculcabant. Unde Feſtus in hac voce: *Culcita quod tomento inculcatur appellata.* Varro *de L. L. lib.* 4. *pag.* (*m*) 40. *Poſteaquam tranſierunt ad culcitas, quod in ea ſagum, aut tomentum, aliudve quid calcabant, ab inculcando culcita dicta.* Græcis ſimiliter dicitur ςιβὰς, à ςείβω, ſive ςίβω, quod itidem notat calcare. Quanquam ςιβὰς non tam *culcitra* eſſe videatur quam *ſegeſtria*, quæ Græcis ςέγαςτρον. Minus recte hic notare eos puto Voſſium, & cum eo concordantem Torrentium ad Suet. in *Tib.* 56. qui *culcitra* ſcribunt, & modo *culcitra*, modo *culcita*

ſcripſiſſe antiquos oſtendam, poſterius firmant Feſtus & Varro dd. ll. Suetonius *d. Cap.* 56. Et Seneca Epiſt. 108. *Laudare ſolebat Attalus culcitam, quæ reſiſteret corpori.* Quoad prius ſolum Romanæ parentem Eloquentiæ adduxiſſe ſufficere puto. Qui *Lib.* 3. *Tuſc. Quæſt. Cap.* 19. inquit *Culcitra plumea.*

Culcitas olim etiam inferciebant acere, & glumis ſpicarum. Teſte Scalig. *ad Varron. de L. L. pag.* 66. Sed non video tanta admiratione dignum hoc eſſe quam d. l. putat vir Illuſtris, quod ſagis culcitæ aliquando pro tomento fuerint farti. Quando ita habet: *At ubinam gentium uſitatum fuit, pro tomento ſaga in culcitas inferri? Melius ſane tegendo corpori adhiberentur, quam centonibus farciendis, & inculcandis.* Verum eſt, tegendo corpori & adhiberi potuiſſet, forſan aliquando & ita fuit uſurpatum ſagum, ſed quid vetat quo minus & pro tomento uſum

creda-

credamus, præſertim ob eam rationem quod veſtimentum ſit militare, inter milites autem in caſtris non omnia tam accurate ſe habere poſſunt, & quælibet res præciſe uſui ſuo proprio relinqui, accedit, quod ad replendam culcitam tomento, interdum varia debebant congeri, donec repleretur, & ei commode incubari poſſet, milites autem diurnis incommodis ſatis feſſos, breviorem quæſiviſſe aliquando viam, & ſago eum in finem uſos, minime eſt incredibile. Illud pene omiſiſſem per *culcitam* quoſdam intelligere *pulvinum*, ſed male meo quidem judicio.

Recordor modo me adduxiſſe Ciceronem Tuſc. *Quæſt. Lib.* 3. *Cap.* 19. Ubi mentio fiebat *culcitræ plumeæ*, quod mihi perſuadet, creſcente luxuria hominum & *plumas* culcitris inculcaſſe, quod de ditiorum lectis, abunde confirmare videtur Sidonius *Lib.* 4. *Epiſt.* 24. Maximum

deſcribens impacto nuper ſacerdotio continentem & frugi, deque vita lautiori ad ſeveram & moderatam traducto. *Coma brevis, barba prolixa, tripodes ſellæ, cilicum vela foribus appenſa, lectus nihil habens plumæ, menſa nil purpuræ, &c.* Ex quo exemplo diſce, ſacerdotii candidate, ut ſis humilis, ut te & omnes nos decet, quicunque eccleſiaſticis honoribus intumeſcis.

Plumis anſerinis utebantur delicatiores, unde ſingulari nomine χηνοπλȣμάτον uti ex Chryſoſtomi Homilia in Herodiadem docet Meurſ. in Gloſſario Græcobarbaro. p. 624. Paleis ſeu ſtoreis utebantur plerumque Monachi, quod vocatur pſiatium auctore Lacerda in Adverſ. Sac. cap. 30. inculcabant etiam iis folia, quæ ſingillatim carpta volebant, ne quid duriuſculi offenderet.

Aliquando & ſimplici foeno contenti eſſe debebant. Seneca de Vita beata cap. 25. *Nihilo miſerior ero,*

ro, ſi laſſa cervix mea in manipulum foeni acquieſcet, ſi ſuper Circenſe tomentum per ſuturas veteris lintei effluens, incubabo. V. Feith. Antiq. Homer. Lib. 3. cap. 8. Ubi ſimul notandum quod in pr. dicti capitis refert, veteres cum in lectum ſe recipiebant veſtes in cubiculo ex trabe ſuſpendiſſe.

CAP. VII.

De Pulvino.

FAbricato igitur lecto, & culcita inſtructo, pulvinum ei ut imponamus ordo inſtituti noſtri flagitat.

Pulvinum à pelluleis dictum monet Varro de *L. L: lib. 4. pag.* 40. Iſidoro *Lib.* 20 *cap.* 11. *Pulvinar eſt lectus divitum, inde & pulvillus.* Aſt dicat quis, loquitur de *pulvino* Varro, de *pulvinari* Iſidorus, quæ diverſa, quod & putaſſe video Voſſium in Etymol. dicentem: *Pulvinum*

 eſſe

eſſe, quo in ſedendo ſunt uſi veteres, pulvinar vero quod dormituri capiti ſupponebant, ſed lubens fateor, me hactenus hanc differentiam apud autiquos accurate obſervatam non reperiſſe. Fuit autem proprie *pulvinus* id quod alio nomine *Cervical* dicitur. Uti apud Martial. *Lib.* 14. *Epigr.* 146.

Hi pulvini variis rebus, ut tomento, plumis, pilis, aliiſve erant farti. Aliquando & arundinis lanugine, quæ σάμαξ & ἀνθήλη audit Græcis. Pollux. lib. 10. cap. 8. Beatiores vero lanam pulvinis injiciebant, quam Leuconicam vel Lingonicam dixere. Unde Marrial. d. l. *Epigr.* 159.

Oppreſſæ nimium vicina eſt faſcia plumæ?
Vellera Leuconicis accipe raſa ſagis.

De plumeis pulvinis teſtatur ita Apulejus. *Lib.* 10. *p.* 248. *Quatuor eunuchi pulvillis compluribus, ventoſe tumentibus pluma delicata, terreſtre nobis*

nobis cubitum præſternunt. V. & Barth. ad Stat. *Sylv. p.* 57. de Sericis. Horat. *in Epod.* 8. *verſu* 15. Et Martialis.

Jacet occupato galbanatus in lecto
Suffuſus oſtro, ſericiſque pulvillis.

Replebant & pulvinos roſis. Trebellius in Gallieno Cap. 16. *Veris tempore cubicula de roſis fecit.* (Ubi omnino notandum cubiculum quod alias ordinario notat conclave ſumi pro *lecto.*) Add. Albinovanus pædo in *Obit. Mecan.*

Victor odorata dormiat inque roſa.

Et Spartianus in Ælio Vero cap. 5. *Fertur etiam aliud genus voluptatis quod Verus invenerat, nam lectum eminentibus quatuor anaclinteriis fecerat, minuto reticulo undique incluſum, eumque foliis roſæ, quibus demptum eſſet album, replebat.* Quando dicit *Album quibus demptum* interiorem intellige roſæ partem cum apicibus luteis, quæ alio nomine *Flos.* Quod autem croco imbutum Iſocratis pul-

vinum legimus apud Plutarchum *in decem Rhet.* Κρόνῳ Διάβροχον προσκεφάλαιον vocans, non de his de quibus nos agimus, ſed de pulvinis recitantium intelligendum eſt, recitantibus autem pulvinos quoque ſubditos, in quibus conſiderent, docet Arrianus *Epiċt. Lib.* 3. *Cap.* 23. ἀναβάντα ἐπὶ πούλβιον *aſcendentem in pulvinum*, hoc eſt *ſedem*, *aut cathedram ubi pulvinus.* Ut notat Voſſius de *Imit. Cap.* 7. §. 15. Quoniam autem Iſocrates habebat ejuſmodi pulvinum (ut dixi) croco imbutum mollis ac effoeminatus audiit rhetor. Sed revera precioſos pulvillos merebat vir laborioſiſſimus, qui vel uni texendo Athenienſium Panegyrico, integros quindecim annos aſſedit. Teſte Chiment. de *Hon. Biſ. Cap.* 28. Addendum hic puto ipſo *pulvinum* etiam ſumi pro ipſo *lecto* apud Horat. *Epod.* 8.

CAP.

CAP. VIII.

De Stragulis.

PUlvino itaque tomento repleto ut molliter ei incumbere poſſit cubans, ſtragula quoque lecto noſtro inſternemus.

Stragulum, *Stragula*, *Inſtratum*, & *Veſtis Stragula* communi appellatione dictum quicquid ad injiciendi, inſternendive uſum adhibebatur. Paulo JCto *lib.* 3. *Sent. tit.* 7. qui eſt de legatis, *ſtratoriæ veſtes* memorantur. Gr. ϛρώματα, περιϛρώματα, περιπετάσματα. Varro lib. 5. de Ling. Lat. Græca ſunt Periſtromata, & Peripetaſmata. Idemque *operimenta* & *pallia*, *opertula* dixerunt. ἱμάτιον enim Græcorum, quod Latinis *pallium* pro veſte etiam ſtragula uſurpatum. Sic Ovidius. Lib. 1. Amorum. El. 2.

Hæc tamen aſpiciam, ſi quæ bene pallia celant

Illa mihi cæci cauſa timoris erunt.

Et paulo infra

Sæpe mihi, dominæque meæ properata voluptas
Veſte ſub injecta dulce peregit opus.
Hoc tu non facies, ſed ne feciſſe puteris
Conſcia de tergo pallia deme tuo.

Propertius *Lib.* 4. *Eleg.* 3.

At mihi cum noctes induxit veſper amaras,
Si qua relicta jacent, oſculor arma tua.
Tum queror in toto non ſidere pallia lecto,
Lucis & auctores non dare carmen aves.

Et Juvenalis *Sat.* 6.

——— Tunc corpore ſano
Advocat Archigenem, oneroſaque pallia jactat

Ubi vetus interpres. *Simulat ægritudinem ſocrus, ut habeat facultatem ad ſe filiæ veniendi, cauſa adulterii.*

Item

Item Martialis *Lib.* 1. *de Catella Publii Ep.* 110.

Et deſiderio coacta ventris
Gutta pallia non fefellit ulla:
Sed blando pede ſuſcitat, toroque
Deponi rogat, & monet levari.

Si quis non tribuat fidem poëtis, genti utpote licentioſæ, aſſumat prorſi ſermonis teſtimonium ex *L.* 45. *ff. de V. S. Neque enim dubium eſt, quin ſtragula veſtis ſit omne pallium* περίςρωμα. V. Cujacius *lib.* 10. *Obſervat.* 18. & præter Varronem loco ſupra dicto, Suetonius in Nerone *Cap.* 48. *Super lectum modicella culcita, vetere pallio ſtrato inſtructum.*

Hæc lectorum ſtragula confeciſſe interdum ex palma ex Abb. Anhuſano *Hiſt. Hortor. p.* 2. *c.* 30. refert Lipenius in *Stren. Hiſt. Cap.* 3. §. 17.

Velamenta hæc in duo genera dividit Plato *in politico.* In σκεπάσματα ſeu περιβολὴν, & περικαλύμματα, ſeu ὑποβολήν. *Hipobolen* vocat culci-

tam, & quicquid inſternendi & incubandi cauſa paratur, tapetes, tegetes, ſtoreas, erones. *Peribolen*, quod injiciendi cauſa paratur, ut pallium, lænam.

Cubabant etiam in tapetibus loco ſtragulorum, Varro. *Cubo in Sardinianis tapetibus.* Plato Comicus Κἂν Φοινικίσι σαρδινιακαῖσι κοιμησόμενοι κατάκεινται. Tapetes avibus intextis ϛρωσθωτά ελίγματα, ζωωτὰ belluata, ἵνα κόσμον ἔχη ἡ ϛρῶσις καὶ εὐάφειαν. Ut lectus & eleganter inſterneretur & molliter. ἐμπετάσματα πυργωτὰ, vel περιϛρώματα. Quæ turres pictura vel textura repræſentant, ζωωτὰ περιϛρώματα, belluata. Hæc omnia ornamento fuere lectis tricliniaribus & cubicularibus. Ut autem ſimul moneam quid per ϛρωματόδεσμος intelligendum ſit, dico, *eſſe involucrum ipſum ſtragulæ veſtis.* Auguſt. *lib.* 20. de Civ. Dei, vocat, *colligatum involucrum.* Veſtem quoque ſtragulam pellibus involviſſe,

&

& loris conſtrinxiſſe ex pandect. tit. *de ſupplect. Leg.* probat Bulleng. de *Conviv. Cap.* 35.

Stragulis hiſce aurum quoque aliquando intexebant, quod primus invenit in Aſia Attalus Rex. Colores autem diverſæ picturæ veſtibus intexere, maxime Babilon celebravit, & nomen impoſuit. V. Budæus in *Reliquis ad ff. Annotat. pag.* 130.

Sunt aliqui qui ſtragulas haſce veſtes uno nomine *toralia* dicunt. Turnebus, Lambinus, & Lævinus Torrentius *toral* interpretantur, *ſtramentum lecto injectum.* Varro *Lib.* 4 *de L. L. p.* 40. ut & Caſaubonus intelligere videntur *cortinas.* Dicit enim Varro *Torale quod ante torum.* Caſaubonus ad Lamprid. in Heliogabalo. *Stragula autem quibus tori ſternebantur, & toralia quæ circumjiciebantur, pratioſiſſima fuerunt.* Ego autem illorum potius caſtra ſequor, qui *toralia* accipiunt pro *ſtra-*

gulis.

gulis. Dicit enim alio loco Lampridius: *Texit toros toralibus.* Quo facit etiam Varronis illud, apud Nonium *L.* I. *de vita P. R. Quod fronte lecticas ſtruebant, ex ea herba torta torus appellatus eſt: hoc quod injicitur etiamnum Toral dicitur.* Stramentum ergo intelligi nequit, nec multo minus *Cortinæ*, illis enim lecti circumtegebantur, vel obducebantur, non vero ſimpliciter tegebantur inſternebanturve. Non ſilebo, pro ſtragulis etiam uſos veteres pellibus. Teſte Valerio Maximo, qui Catonem hoedinis pellibus uſum pro ſtragulis aſſerit. V. Scalig. in Conject. ad Varr. de L. L. p. 66.

CAP. IX.

De Toralibus, ſive Cortinis.

LEcto igitur culcita, pulvino, & ſtragulis inſtructo, *cortinas* uti recentioribus dicuntur vel *toralia* Varroni & Caſaubono, (ut modo

do dixi) eum circumtegimus, Belgis audiunt *Behangſels*, *gordynen.* Apertos habuiſſe, i. e. ſine cortinis lectos, colligere licet ex duplici lecti figura, quam ex Epiphanio Phyſiologo *Cap.* 23. curioſus poterit petere: Clauſos etiam aliquando pro temporis ratione omnino credo; Unde in animum inducere non poſſum, qui Vir Cl. J. C. Bullengerus in Tractatu de Conviviis lib. 1. cap. 29. ſibi ipſi aliquo modo, eodem in capite videatur adverſari. Poſtquam enim in principio capitis dixerat: *Veterum lecti non erant pannis oppanſis clauſi*, circa finem habet: *per hyemem eum* (ſc. Ael. Verum) *putem pannis oppanſis incluſiſſe, ſi per æſtatem reticulo incluſit.* At tolli difficultatem ita poſſe exiſtimo, ſi, diſtinguendo inter tempora, dicam, æſtate pannis oppanſis non fuiſſe clauſos, hyeme tamen ita ſe rem habuiſſe, quod & ratio naturalis exigere videtur, hocque Celeberrimum

rimum Auctorem innuere voluiſſe credo, cum poſteriora illa inchoatur his verbis: *Per hyemem*, quamvis prior locutio aliquo modo nimis ſit generalis.

CAP. X.

De Lectorum Ornatu.

LEcti erant vel *magni*, vel *parvi*. Aliique iterum *magnificentiores* & *ſplendidiores*: Alii *viliores* ac *ſordidiores*, pro copia & inopia poſſeſſorum qui in iis cubabant.

Magnos lectos ad oſtentationem fuiſſe comparatos docet Juvenalis ſat. 2.

Dives erit, magno quæ dormit tertia lecto.

Erant & lecti *aurei* vel *argentei*, quod non cape, quaſi ubi eorum ſit mentio ſemper intelligendi ſint lecti *ex ſolido auro vel argento*, quali tamen uſum video Heliogabalum ex Lampridio in ejus vita, cum ait: *Solido*

Solido argento factos habuit lectos tricliniares & cubiculares, ſed auro argentoque obducti, & hinc inde ornati (ut dicam in Diſſ. de Lecticis) aureos argenteoſque habuit lectos Ahaſuerus Eſther cap. 1. verſu 6. Aureo etiam lecto uſus Julius Cæſar, teſte in ejus vita Suet. cap. 49. Ubi ſimul nota, quoad ſtragula, uſum eum *purpureis*. Lectorum quoque inargentatorum, inauratorum, & gemmatorum mentio fit in *L.* 3. §. 3. *ff. de ſupell. leg. & L.* 9. §. 1. *ff. eod.* Ecce verba L. 3. *Et lectos inargentatos vel inauratos, atque gemmatos in ſupellectili eſſe non dubitatur.* Et L 9. *Nam & argenteos lectos, item argentea candelabra ſupellectili cedere poſterior ætas recipit: cum & Ulyxem ex auro & argento lectum viventis arboris truncis ædificatum ornaſſe, quem Penelopa recognoſcendi viri ſignum accepit, ut voluit Homerus.* lib. Scilicet, 3. Odyſſ. Meminit & *lectorum eboratorum* Varro. *Cum in eborato lecto,*

cto, ac purpurei operis toro cubare videas ægrotum. Dum ſermo eſt de lectis aureis & argenteis addi meretur, primum aureos lectos inveniſſe Carbilium Pollionem, equitem Romanum. Ut auctor eſt Plinius. XXXIII. II.

Verum quoniam in adductis locis mentio fit lectorum inauratorum & argentatorum, non extra chorum ſaltare mihi videbor, ſi rationem inaurandi & inargentandi, quam accuratiſſimus proponit Barthius *Adverſ. lib.* XLVII. *cap.* 7. adſcribam: duplex enim, ait, ratio „inaurandi & inargentandi veterum, ut ex multis ſcriptorum locis conſtat, quanquam vilioris ex „his non tenue fuerit pretium: ſuperſunt enim vetuſtiſſimorum „nonnulla, adeo craſſe oblita & inducta, ut inductio ipſa ſpiſſitudinem aurei hodierni nummi, quem „ducatum vocant, facile æquet, „uti ipſimet vidimus, tum in aliis „ſignis,

„ſignis, tum in ſimulachro Vene-
„ris & Cupidinis, quod Antiquita-
„tum periti in Cypro olim adora-
„tum cenſebant. De lectis illis
„inargentatis elegans eſt textus *in l. 3. pr. ff.* de ſupell. leg *ſupellectile legata hæc continentur, menſæ, trapezophora, delficæ, ſubſellia, ſcamna, lecti etiam inargentati, culcitræ, toralia, imperia, vaſa aquaria, pelves, aquiminalia, candelabra, lucernæ, trullæ.* ſuper qua lege cum diverſæ ſint eruditorum ſententiæ, paucis de ea diſputare fas erit. Occurrit in hac lege, verbum *Imperia*, quod multa ingenia torſit, cum prorſus abſurde *imperia* referantur inter ſupellectilem.

Videamus ergo obiter doctorum virorum medelas huic vulneri adhibitas. Barthius Adverſ. lib. XLVII. c. 7. pro *Imperia* legendum cenſet *I-*
„*gnifera*, cum inquit, *Imperia* quæ
„in adſcriptis Pauli viſuntur ver-
„bis, haud dubito quin ex voce
„obvia

„obvia ſint corrupta, nec adſen-
„ſum omnino eidem Scaligero da-
„re poſſumus, *Imparia* vaſa capien-
„ti, remotiora ab uſu & recondi-
„tiora, nec vana ſuſpicio forte *Igni-*
„*fera*, quibus ignis aut prunæ citra
„& ultra in domo perlata præci-
„pue cum alterum mox elemen-
„tum ſubdat.

Summus JCtus Cujacius Obſ. V. cap. 11. pro *Imperia* emendandum putat *Impelia*, vel *Impilia*, quæ cum veſtimenta exponat, neque illa ex lege 1. *ſupellectili annumerari poſſint*, non ita facile admittenda videtur tanti viri conjectura, uti nec illuſtris Scaligeri ad Varron. pag. 194. *Imparia* ſcilicet vaſa legentis. Verum, cum, ut ita dicam, generalia enumerentur, & ipſa *vaſa aquaria* aperte nominentur, haud ſpernenda quoque videtur conjectura viri docti, qui *Vinaria* pro *Imperia* ſubſtituit: quam facile enim ex veteri ſcriptura, *ui* in *im*, *n* in *p*, *a* in *e*, muta-

mutari ab imperito librario poſſit, unicuique conſtat.

Si tamen aliqua harum ſententiarum amplectenda foret, pedibus irem in illam Magni Cujacii, legentis, *Impilia*, quæ fuerunt *tegumenta pedum è coacta lana*. V. Panciroll. 2. Varr. 99. motus in primis *L*. 25. §. 4. *ff. de A. & A. leg.* Ubi idem vocabulum eodem ſenſu occurrit, & auctoritate Plinii *Lib.* 19. *Hiſt. Nat. Cap.* 2. (id tamen fateor in nonnullis editionibus hoc vocabulum non haberi) *Theophraſtus*, inquit, *auctor eſt, eſſe bulbi genus, circa ripas amnium naſcens, cujus inter ſummum corticem, eamque partem qua veſcuntur eſſe laneam naturam, ex qua Impilia, veſteſque quædam conficiantur.* Aſt ſi ita legamus, vehementer nobis adverſatur modo adducta *L*. 1. *ff. de ſuppell. leg.* quæ ita habet: *ſupellex eſt domeſticum patris familias inſtrumentum, quod neque argento, aurove facto, vel veſti adnumeretur.*

Ubi

Ubi notandum veſtes inter ſuppellectilem non eſſe numerandas, hac autem lectione conceſſa, veſtes collocamus inter ſupellectilem. Verum enimvero videamus an non difficultas hæc tolli poſſit, dicendo: diſtinguendum eſſe inter veſtes, veſtes enim in D. l. 1. intelligendæ ſunt quibus veſtiuntur homines, quales ſupellectili non poſſe annumerari lubentes concedimus, modo dicta L. 1. Noſter autem ſermo eſt de veſte qua teguntur homines, ſtragula nempe vel tapete, quem inter ſupellectilem omnino collocari poſſe, evincere videtur. L. 5. in pr. dicti tituli.

Hæc ſuper hac lege impræſentiarum ſufficiant, ideoque lecto meo iterum totum me dedo, notatuque dignum exiſtimo, id quod Spartianus in Ælio Vero cap. 5. memorat, nempe, quod *Verus fecerat lectum eminentibus quatuor anaclinteriis, minuto reticulo undique incluſum.* Ut autem

autem ſimul ſciatur quid per anaclinterium hic ſit intelligendum; Dico, Latine reddi: *Reclinatorium.* Iſidorus Lib. 19. cap. 26. *Fulcra ſunt ornamenta lectorum, dicta, quod in iis fulcimur, id eſt, ſuſtinemur, vel quod toros fulciant, ſive caput, quæ reclinatoria vulgus appellat.* Eam vocem apud vulgus invaluiſſe monet Iſidorus, cum alioquin fulcrum diceretur. Ambroſius de Virgin. Lib. 3. *Adclinatorium*, vocat; Eſt autem proprie anaclinterium, pars illa ſive pluteus eminens, ubi pulvinus aptabatur ad caput reclinandum. Antiqui enim lecti duos habebant ejuſmodi pluteos aut fulcra; quo pacto nonnulli etiam hodie, præſertim inopum. Pluteus ad caput lecti (ſic Gr. κεφαλὴ τῆς κλίνης) altior: qui vero ad pedes depreſſior. Inde hoc genus lecti ἀμφικέφαλος. Etymolog. & Heſychio, quaſi utrinque capitatus ſuperne & inferne. Sed magis placet ἀμφικνέφαλος; eſt

 enim

enim κνέφαλος, cervical, vel pulvinus: qui quòd ad utrumque pluteum componeretur, ἀμφικνέφαλος; ille lectus vocitatus. Ideoque memoratur ut inſolens atque enormi magnitudine ad luxum lectus ille Ælii Veri, *quatuor eminentibus anaclinteriis*. Quod autem *reticulo incluſum* ſcribit Spartianus d. cap. 5. intellige *textum reticulati operis*, olimque in uſu. Græcis ἀμφίβληστρα. Dictum ſupra de lectis aureis, argenteis, gemmatis, & eboratis, verbo hic addam habuiſſe & teſtudineos, auctore Javoleno JCto in *L.* 100. §. 4. *ff. de Leg.* 3.

Rapior autem in admirationem videns Deuteron. cap. 3. verſ. 11. Oggium Regem Baſanitarum habuiſſe lectum è ferro confectum, cujus ratio non uſque adeo aperta: Joan. Druſius egregius vir ingenio, boniſque omnibus diſciplinis ornatus, in elaboratiſſimis ad hunc locum Deuteron. III. 11. annotamentis, putat

tat molem corporis id exegiſſe: Clariſſimus Clericus, ne moleſtis ac noxiis inſectis infeſtaretur, quæ ſi vera cauſa, oportet ut omnium incolarum fuerint è ferro. V. Huet. Demonſt. Euang. propoſ. 4.

De Ruſticis quoque verbo hic notabo, habuiſſe lectos ligneos. Vid. ἀνθολογία variorum epigrammatum Lib. 4. cap. 28. Epigr. 16. pag. 783. & 784. De ruſtico agens:

Utinam felix laborioſe ruſtice, tibi vita ſemper
Maneret, & foſſionis labores paupertatis
Tenuia vero tibi & convivia, & in ligneis lectis dormis.

Quæ verba hic do ex verſione Lubini. Latius de his lectis actum videbis à viro reverendo, verbi divini interprete facundiſſimo, domino, Siccone Abbring, in opere quod molitur, de *Re Ruſtica Hebræorum*. Faciebant quoque veteros lectos ex palma. Theophraſtus in Hiſt. Plant. Lib. 2. c. 8.

V. Illuſtriſſimus Ezechiel Spanhemius, in eruditiſſimo opere de præſt. & Uſu Numiſm. Diſſ. 4. p. 301.

Habebant Hebræi lectos quoque quos vocabant *Galilæos*, qui per partes complicari, & ab uno loco in alterum deferri ſolebant; Imo antiquitus lectum ſplendidum ſinguli in ædibus ſuis ſtratum habebant, quod nulli ſerviebat, niſi *Principi* vel *Angelo* Domus, ſive *Laribus*. Hic lectus Hebræis audit *lectus bonæ fortunæ*. V. Ottho in Lexico Rabbinico Philolog. in voce *Lecti*. Et noviſſime Nicolai de *Subſtrat. Veſt. Cap.* 2. §. 3.

CAP. XI.

De Lectorum uſu extraordinario.

VIdeamus & alios lectorum uſus extraordinarios; Et quidem, *primo*, in lectis non tantum cubaſſe veteres ſed & ſediſſe, docet Petron. *Sedenſque ſuper lectum meum*

meum diu flevit, & *fletu confuſa altera parte lectuli ſedet.* Idemque *me ſtupente in lectulo ſedet.* Et Boethius de Conſolat. lib. 1. *Tum illa propius accedens in extrema lectuli mei parte conſedit.*

Secundo, veteres Chriſtianos ſediſſe cum orarent, indicat Tertull. lib. de *Oratione* ex Herma Apoſtolici ævi ſcriptore, ſed damnat id ac reprehendit, *ut curioſi potius*, *quam rationalis officii* &c. *& alioquin*, ait, *nuſquam erit adorandum*, *niſi ubi fuerit lectus.* Similis ethnicos olim religio ligabat, quo ſpectabat Adagium, *Adoraturi ſedeant.* Juvat Feſtus: *Adſidelæ menſæ vocantur*, *ad quas ſedentes flamines ſacra faciebant.* De lecto ad ſeſſionem, idem Hermas Lib. 3. cap. 10. *Conſedit ſuper lectum*, *& adſtitit in dextra ejus paſtor.* Quem ſedendi uſum promiſcue, & lectorum cubicularium & tricliniarium fuiſſe credo, cum alias inter ſe diverſi fuerint hi lecti, V. poteſt.

 Chi-

Chiment. de *Hon. Biſ. Cap.* 27. *Tertio*
notanda, religio ſenum quos gravio-
ris morbi vim præſentientes Lunæ
lectum, & cubiculi tegumenta vo-
viſſe, auctor eſt Iſidorus Scholaſt.
Cap. 3. *Epigr.* 1. adductus à Doctiſ-
ſimo Tomaſino, de *Donariis Vet. Cap.*
35. *Quarto*, Quod in lectis augu-
ria olim quoque ceperint. Feſtus
in *cubans. Cubans auſpicatur qui in le-
cto quærit augurium.* Hinc Plautus
in Curcul. Act. 1. ſc. 1.

Nihil eſt mirandum melius ſi nihil ſit tibi
Namque incubare ſatius te fuerat Jovi
Tibi qui auxilium in jurejurando tulit.

Incubare quid hic ſit eleganter no-
tat Servius ad Virgil. Æneid. Lib.
7. ℣ſu 85. *Incubare*, inquit, *proprie
dicuntur hi, qui dormiunt ad accipien-
da reſponſa. Unde eſt, ille incubat
Jovi, id eſt, dormit in capitolio, ut
reſponſa poſſet accipere.*

Illud

Illud etiam hic notandum quod illi qui in Deorum templis atque ſepulchris, dormiebant, acciperent reſponſa ſuper ſomniis rebuſque futuris, incubarint pellibus, ad quem morem alludit Virgilius. d. l.

Hinc Italæ gentes, omniſque Oenotria tellus
In dubiis reſponſa petunt: huc dona ſacerdos
Cum tulit, & cæſarum ovium ſub nocte ſilenti
Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque petivit.

Et iterum mox ỷſu 92.

Hinc & tum pater ipſe petens reſponſa Latinus,
Centum lanigeras mactabat rite bidentes
Atque harum effultus, tergo ſtratiſque jacebat
Velleribus: ſubito ex alto vox reddita hæc eſt.

Calabri quoque Podalyrium, Æculapii filium conſulturi ad ejus ſe-

pulchrum agninis inſtratum pellibus ipſi quoque cooperti decumbebant. Daunii quoque vel Calabri pellibus incubabant quas Melotas dicebant, hoc eſt, ovillas, in Podalyrii ſepulchro. Lacedæmonii in fano Paſitheæ ſomniandi cauſa excubabant, & quoniam Æſculapium una videre ſomnia credebant, ejus templum frequens Græcia adiit & coluit, ægri quippe incubabant in æde Æſculapii, putantes inter dormiendum ſibi remedium præſcribi. Unde Petronius: *medicinam ſomno petii.* De quo more Vid. quæ dixi in diſſ. mea de Lecticis veterum. Ethnicos quoque ſacerdotes in mactati arietis pellibus dormiviſſe, ad captandas ſomniorum ſignificationes, doctiſſime monet Celeberrimus Braunius, in eruditiſſimo opere de Veſtitu Sacerd. Hebræor. Lib. 1. cap. 4. V. & Cælius Rhodiginus, Ant. Lect. Lib. 27. cap. 14. Et noviſſime Clariſſimus Nicolai, de Subſtrat.

ſtrat. Veſt. cap. 6. §. 3. & 4.

Quinto, notandum: Ex lectis quoque recitaſſe veteres, ut docuit me Plinius Lib. 8. Ep. 21. tunc autem ante vel circum lectos ponebantur *cathedræ*: Audiamus ipſum Plinium, *Poſitis ante lectos cathedris amicos collocavi* Idem. 2: 17. *Lectum & duas cathedras capit*. De quodam cubiculo loquens.

Sexto, quod habuerint quoque lectos quibus utebantur in meridiando, qui æque ad cubandum, quam ad ſedendum erant apti, quæ proprie fuere lecticæ, qualis lectus Latinis vocabatur *Lectiſella* & *Lecticathedra*, Græcis κλινοκαθέδριον. Teſte Chimentell. de Hon. Biſell. cap. 27.

Nunc de Lectorum uſu ſive ordinario ſive extraordinario nihil amplius addam, niſi id quod modo inter legendum mihi occurrit, in Feithii Antiq. Homer. Lib. 3. cap. 11. In atrio hoſpitibus ſternere le-

ctos ſolitos fuiſſe veteres, ut clare probat ex Homero. Iliad. 24.

CAP. XII.

De Cubiculariis.

HActenus de Lectis cubicularibus, quibus pauca de cubiculariis addere fas eſſe duximus: Erant & ſervi, à cubili Cubicularii dicti: Hi cubiculum domini, dominævé (ut monet Apulejus Lib. 10. De Aſino aureo. *Confeſtim cubiculariis mulieris attractis, ut tormentorum veritatem eruit*) obſervabant, dominumque tuebantur, unde Alfenus in L. 203. de V. S. Cubicularios numerat, *inter eos, qui ad patrisfamilias corpus tuendum præpoſiti deſtinatique eſſent.* Mentio quoque fit cubiculariorum in inſcriptione antiqua apud Sponium: in Miſcell. Erud. Ant. pag. 222.

C. OC-

C. OCTAVIUS C. L. PACCIUS
AUG. SER. AB HORTUL.
C. OCTAVIUS C. L. PROSPER
AUGUST. CUBICULARIUS
OCTAVIUS C. L. PACORUS
AUG. A VESTE IMP. PRIVATA.

Et Marcianum in L 65. de Leg. 3. *Cubicularios autem, vel obſonatores, vel eos qui piſcatoribus præpoſiti ſunt, non videri negotiationis appellatione contineri*. Cicero 5. in Verrem. *Hunc veſtri janitores, hunc cubicularii diligunt*. Suetonius in Domit. Cap. 17. *Et Saturius decurio Cubiculariorum*. Cicero Lib. 6. ad Att. Ep. 2. *Jam cætera jurisdictio, nec imperita & clemens, cum admirabili facilitate, aditus autem ad me minimum provinciales, nihil per cubicularium, ante lucem inambulabam domi, ut olim candidatus*. Quintilianus Declam. 328. *An vero parum juſtas ſæviendi cauſas habebam adverſus cubicularium? Dominum ſuum non defenderat, non ſervaverat, neſciebat quis dominum ſuum occidiſſet*. Inde

Tacitus *Lib.* 6: 14. *excubias* vocat: *ſane conſilium occuluit, telum inter ignaros paravit, num excubias tranſiret, cubiculi fores recluderet, lumen inferret, cædem patraret, omnibus neſciis.* Nullaque alia Cæſari fuit ratio, cum in prædones incidiſſet, ut cæteris comitum ſervorumque dimiſſis, detineret Medicum & Cubicularios, ſcilicet illis carere poterat, his non poterat. Cubiculario huic collega erat *Janitor*, ut colligo ex Ovidio *Lib.* 2. de Arte Amandi.

Fac plebem (mihi crede) tuam: ſit
ſemper in illa
Janitor, & thalami qui jacet ante
fores.

A qua conſuetudine narrat Dionyſius Halicarnaſſeus Lib. 4. Tarquinium clam Janitoribus, qui ad cubiculi januam dormiebant, ſtricto gladio cubiculum Lucretiæ ingreſſum fuiſſe. Hique *cuſtodes* erant *Cubiculares.* De quibus Juvenal. Sat. 5. verſ. 346.

Pone

Pone ſeram, cohibe: ſed quis cuſtodiet ipſos
Cuſtodes?

Et Apulejus Lib. 9. Met. *Barbarus iſte, cum neceſſariam profectionem pararet, pudicitiamque caro conjugio conſervare ſumma diligentia cuperet, ſervulum ſuum Myrmecen, fidelitate præcipua cognitum, ſecretum commonet, ſuæque dominæ cuſtodiam omnem permittit.*

Erant & Cubicularii, qui perſonam principis curabant, & ipſi inſerviebant. *Tot. tit. C. de Præpoſ. ſacr. Cub.* quod perhoneſtum erat munus; ut de Helicone præfecto cubiculo Caji Cæſaris teſtatur Philo *de legatione.* Erant autem non unus aut alter qui apud Cæſarem vel Principem hoc munere fungebantur, ſed plures, erant enim inter eos *Decani*, à numero dubio procul denario. Unde Auguſtinus Lib. 1. *de moribus eccleſiæ Catholicæ cap.* 31. *Decanos enim*, ait, *vocant, eo quod*

ſint denis præpoſiti, quos *miniſtros thori* Marcellinus appellat. Lib. 14. ſic & varios fuiſſe colligi poteſt ex Capitolino in pertinace: *Reliqui autem cubicularii Palatini (nam ſuos ſtatim ut Imperator factus eſt, filiis emancipatis dederat) diffugerunt.* Idem confirmat antiquum epigramma apud Pign. de ſervis pag. 480.

M. LIVIUS. AUGUSTÆ
L. AMARANTHUS
SUPRA. CUBICULARIOS.

Hi cubicularii principem veſtibus induebant, & cubicula, & lectos parabant; quorum præfectus *Primicerius* dicebatur, iidem portas cubiculorum Principis cuſtodiebant.

Dixi de *Decanis*, ſciendum quoque eſt olim & *Decuriones*, fuiſſe appellatos: Suetonius enim Domit. Cap. 17. ſcribit, *Domitianum à Saturio Decurione cubiculariorum trucidatum.*

Gratioſi ſi apud dominum eſſent cubicularii, maximis aliquando muneribus præficiebantur. Ita Maximus

ximus Almachii præfecti urbi cubicularius, Valeriani & Tiburtii ſupplicium exigit. Hinc & Tyrii & Sydonii, quibus infenſus erat Herodes *Act. Apoſt. Cap.* 12. ℣ſ. 20. Blaſto, qui erat ſuper cubiculum regis, deprecatore uſi ſunt. Notat & Lampridius, Commodum omnia ex nutu cubiculariorum feciſſe. Aliquando armigerorum opera impleverunt, quin & copiarum fuere ductores. Unde Anaſtaſius: *eodem tempore miſit Imperator Juſtinianus Narſetem eunuchum, & cubicularium ſuum in Italiam* &c. Ut adeo minime ſit mirandum, apud Reges, cubicularios, quos *Camerarios* dicebant, æs regium adſervaſſe. V. Ealredus in *vita S. Eduardi, apud Surium Tom.* 1. Apud Francos quoque cubiculariis regiis maximum honorem delatum ſcribit *Maſſonius in Ludovico Balbo.* V. Pignorius *de Servis. d. l.* Popma *de Oper. Serv. pag.* 33. Et Panciroll. *in Notitia*

Dign.

Dign. Imp. Orient. Cap. 65. (In *Theſ. Ant. Rom. Celeberrimi Grævii. Tom.* 7. *pag.* 1492.)

CAP. XIII.

De Lectis Nuptialibus.

N*Uptialis lectus* triplici ſub nomine nobis venit apud veteres ſcriptores. Aliquando enim vocabatur *Nuptialis*: procul dubio, quia in nuptiis erat uſitatus. Aliquando *Genialis*: atque ita appellabatur; vel quia Genio & Junoni ſacer, vel ominis cauſa, à generando. Hinc Serv. ad Virg. Æneid. 6. verſ. 603. ait Geniales eos proprie fuiſſe lectos, qui puellis nubentibus ſternebantur, itaque dictos à generandis liberis. Genius enim Deus naturæ, & præpoſitus eſſe ac vim habere omnium rerum gignendarum credebatur. Wonna de *Geniis Cap.* 4. Hinc Feſtus in *Genialis*. *Genialis lectus eſt, qui nuptiis ſterni-*

tur

tur in honorem Genii, unde & appellatur. Aliquando vocabatur *Adverſus*: de quo infra. Is novæ nuptæ lectus magnifico ſternebatur apparatu, quem Catullus deſcripſit, & Lucanus lib. 11. 356.

Gradibuſque acclinis eburnis
Stat thorus, & picto veſtes diſcriminat auro.

Apparatum plenius cognoſcimus ex Apulejo lib. 10. Met. *Lectus Indica teſtudine perlucidus, plumea congerie tumidus, veſte ſerica floridus.* Quæ verba indicant, homines divites lectos hoſce teſtudine inveſtiri aliquando curaſſe, plumis fuiſſe fartos plurimis, adeo ut quaſi tumeſcerent, & veſtibus ſericis, id eſt, ſtragulis inſtruxiſſe ac ornaſſe: quin interdum togis ſtratos auctor eſt *Ferrar. de Re Veſt.* 1. 25. Neque tranſierim, quod maritorum genios advocare conſueverint antiqui teſte Arnob. *lib.* 3. *Adverſus Gent. Cum in matrimonium convenitis, toga ſternitis lectu-*

lectulos, & maritorum genios advocatis. Et hinc fortaſſe *ſacri genium lecti* Juv. Sat. 6. dixit.

Mentionem ejuſmodi lecti genialis facit Apulejus lib. 10. *Et mulierem quam dixit propter multiforme ſcelus beſtiis eſſe damnatam, meiſque præclaris nuptiis deſtinatam, & torus nuptialis noſter futurus accuratiſſime diſternebatur.* Idem lib. 9. *Quæ ſuo pudore poſtpoſito, tori genialis calcato foedere, larem mariti lupanari maculaſſet infamia.* Juven. 10: 334.

Tyriuſque palam Genialis in hortis Sternitur. videri quoque poteſt Sigonius de *Ant. Jur. Civ. Rom. Lib. 1. Cap.* 9. Briſſon. *de Ritu Nupt.* (In Theſ. Ant. Rom. Cl. Grævii tom. 8. pag. 1048.) Et Laurentius de Sponſal. & Nupt. Cap. 1. (In Theſ. Ant. Græc, Celeb. Gronovii Tom. 8. pag. 1337.)

Ejuſmodi lectus genialis aliquando etiam vocabatur *pluvinar geniale.* Catull. in Nupt. Pelei.

Pul-

Pulvinar vel divæ geniale locatur
Ædibus in mediis.

Lectus *adverſus* omnino idem erat qui *Nuptialis*: Aſt rapiet forſan aliquem in admirationem, quo modo lectus hic dicatur *Adverſus*, ratio hæc eſt: poſt nuptias demum nomen hoc adipiſcebatur, & quidem propterea, quod hunc lectulum religioſe ſervari mos fuerit; veluti patet ex Lampridii Alexandro, qui inter omina imperii ponit, *quod Tabula Trajani Imperatoris, qui Geniali lecto patris imminebat, dum mater eum in templo pareret, in lectum decidit.* Ecce diu poſt conjugium iſta: & tamen mentio lecti genialis. Nec alius eſt intelligendus quam hic adverſus qui in atrio, ubi item imagines magnorum virorum ponebantur, ſolebat collocari januæ adverſus ſc. in conjugii monumentum, & quaſi pignus. Hinc Horat. lib. 1. Epiſt. 1. ℣ſ. 87.

Lectus

Lectus genialis in aula eſt?
Nil ait eſſe prius, melius nil cælibe vita.

Quem locum egregie illuſtrat Torrentius. Aſt, videor mihi audire aliquem dicentem; ubi hic ſit mentio atrii, nihil omnino de eo in omnibus hiſce verbis. ℞. omnino atrii hic mentionem fieri, ſub voce ſc. *Aulæ*, quæ hic atrium denotat. Sic Gloſſæ priſcæ, *ἀυλὴ atrium*. Præterea ad intelligentiam loci hujus alias obſcuri illud minime eſt prætereundum, quod conjugii proprium ſit ſignum lectus adverſus. Et ideo Poëta ſignum pro re uſurpans; *Age, inquit, maritus eſt quiſpiam? lectum genialem in atrio aſpicit? malit cælebs eſſe, & tædium fatetur ejus vitæ.* V. Sagittar. de Jan. Vet. cap. 20. Scalig. ad Feſt. & Catull. Carm. 68. Et ab illa poſitione, *lectus adverſus.* Huc ſpectat Aſcon. ad Cic. pro Milone. c. 5. *Deinde omni vi, janua expugnata & imagines majorum*

ſorum dejecerunt, & lectulum adverſum uxoris ejus Corneliæ, cujus caſtitas pro exemplo habita eſt, fregerunt: itemque telas quæ ex veteri more in atrio texebantur, diruerunt. Et Laberius apud Agell. Noct. Att. 16. 9.

Nunc lentus es tu, nunc tu ſuſque deque fers,
Materfamilias tua in lecto adverſo ſedet,
Servos ſexcentis verbis nefariis utitur.

Super hoc loco notare licebit varios modos, quibus viri eruditi ultimum hunc verſum corrigere moliti ſint. Joſeph. Scalig. ad Feſtum ita legit:

Servis ſex tantis, vernulis nefariis.

Et τὸ *utitur* refert ad ſequentia. *Utitur M. Varro*, uti etiam quidam libri habent. Lipſ. Elect. 1. 17. Pro *ſervos* legit *ſervus*. Scriverius in ſuo codice legendum notavit:

Servus ſex ante vernulus nefarios Fututor.

Alii

Alii legunt: *Servus exhauſtis nervis nefarius utitur.* Verum cum vetuſtiſſimi libri conſtanter habeant:

Servos ſextantis verbis nefariis utitur.

Et ego ita legendum eſſe omnino exiſtimo, ſecutus Doctiſſimum Oiſelium in *Not. ad Gell.* 16.9. putans Laberium per *ſervum ſextantis* intelligere ſervum *duorum aſſium*, hoc eſt, *nequiſſimum*, & *hominem nihili.* Quaſi dicat, ſervus improbus nequiſſimus, in præſentia uxoris tuæ verbis nefariis, id eſt, obſcoenis & caſtis auribus indignis utitur, tuque iſtud nihil moraris.

Cuique matronæ ſuus hic erat lectus, & in novo conjugio novus. Cic. pro A. Cluentio cap. 5. *Lectum illum genialem, quem biennio ante filiæ ſuæ nubenti ſtraverat, in eadem domo ſibi ornari ac ſterni, expulſa atque exturbata filia jubet.* Unde & Propertius lib. 4. Eleg. ult.

Seu

Seu tamen adverſum mutarit janua lectum,
Sederit, & noſtro cauta noverca toro.

Lectus ille nuptialis non tam erat ad uſum promiſcuum conjugum, ſed matronarum tantum, uti ſatis conſtat. Verum ut una opera occurramus objectioni, quæ formari poteſt ex ſupra adducto loco, ex Lampridii Alexandro, *genialem lectum patris* indicante. R. cum Lipſ. Elect. 1. 17. legendum potius eſſe, *lecto matris.*

In hoc lecto gravidæ ac prægnantes etiam cubabant matronæ dicis cauſa, quod etiam Laberius in verſu ſupra dicto apud Agell. 16. 9. vult indicare, utpote quorum ſenſus ſit, Uxor tua fœta de more in adverſo lecto ſedet, adſtantibus improbiſſimis ſervulis, neque ſuſpicaris de ſtupro. *v. Oiſelius ad. d. l.*

Solitæ atiam fuere in iis lectis ſedere, atque lanificia exercere, a-

liaſve

liaſve operas edere. Quapropter ſcite Propertius.

Sederit & noſtro cauta noverca toro.

& Laberius.

Materfamilias tua in lecto adverſo ſedet.

Erat etiam lectus quidam nuptialis, παράβυστος κλίνη appellatus. Suidas. Ἐκαλεῖτο δέ τις ἐν τοῖς νυμφικοῖς δωματίοις καὶ κλίνη παράβυστος. *Vocabatur vero aliquis in nuptialibus conclavibus etiam lectus parabyſtus.* Quæ accepit ille ab Harpocratione, qui totidem verbis prior hæc ſcripſerat. Heſychius. Παράβυστον, λάθρα γινόμενον, ἀπόκρυφον, ἀποκεκρυμμένον. ἢ μικρὸν κλινίδιον παρατιθεμένον τῷ μεγάλῳ. *Barabyſtum clam factum, occultum, abſconditum, aut parvus lectulus majori appoſitus.* In domo ſcilicet nuptiali duo lecti ſternebantur apud Athenienſes; major unus, alter minor. Ut vides in verbis Heſychii citatis. Ex his ille κλινὴ γαμικὴ; iſte κλίνη παράβυστος dicebatur. Ut docet nos Pollux *lib.* 3. *cap.* 3.

cap. 3. *Sect.* 4. Καὶ κλίνη τὶς ἐκαλεῖτο γαμικὴ, καὶ ἑτέρα παράβυςος, ἣ καὶ αὐτὴ ςρωνυταὶ ἐν τῷ δωματίῳ, ὅπερ τοῦ τὴν παῖδα μὴ ἀθυμῆσαι. *Et lectus quidam vocabatur nuptialis, & alius parabyſtus, qui & ipſe ſternebatur in conclavi, ut ne puella deficeret animo.* Ubi habes etiam cauſam τῆς παραβύςȣ κλίνης. V. Meurſ. Attic. Lect. Lib. 2. cap. 9. (In Theſ. Ant. Græc. Celeb. Gronovii Tom. 5. pag. 1812. & 1813.

Vidimus hactenus uſum lecti nuptialis paucis nunc quoque addemus, à quo fuerit ſtratus, quod feciſſe matres filiarum nubentium prodit Barthius *Adverſ. Lib.* 35. *cap.* 8.

Lectus nuptialis & conjugalis ſpeciali quoque nomine dicebatur *thalamus*, quod originem debet ſuam Græco vocabulo Θάλλω, ſive quia viridem ætatem deceant nuptiæ, ut vult Etymologus, ſive quia illic conjuges vireant & eſfloreſcant, &

 ger-

germina profundant, ſive quod olim floribus ac ramis virentibus, roſis, &c. (ut & hodie ſæpe adhuc fit) thalamos ſolebant ornare. V. Paſchal: de Coronis Lib. 3. cap. 6. p. 152. Et Lib. 2. cap. 16. in fine. Si vis locum ubi thalamus in ſenſu modo dicto ſumitur, en Virgilium 4. Æneid. ℣ſ. 550.

Non licuit thalami expertem ſine crimine vitam
Degere more feræ.

Alias enim aliquando & thalamus ſumitur pro loco in quo commorantur Eumenides, ut apud Eundem 6. Æneid. ℣ſ. 280. cum inquit.

Ferreique Eumenidum thalami.

Nunquam enim nupſerunt Furiæ, ut notat ad hunc locum Servius.

Illud autem etiam negare non auſim, & thalamum ſæpe ſimpliciter ſumi pro lecto. Dicitur quoque lectus nuptialis ſeu conjugalis, *torus*, ſic, *torus conjugalis*, *genialis*. Virgil. 6. Æneid. ℣ſ. 603. *Conſors tori*, Ovid. Met.

Met. Lib. 1. ℣ſ. 319. id eſt, *conjux*. Torum tamen & pro lecto ordinario uſurpari, ante jam dixi.

Apud Græcos quænam differentia inter *thalamum* & *torum* fuerit, docet Theocritus Eidyll. 2. cui titulus eſt Pharmaceutria.

—— Καὶ πάρθενον, ait, ἐκ θαλάμοιο
Καὶ νύμφαν ἐφυβῆς ἔτι δέμνια θερμὰ λιποῖσαν.

—— *Virginem ex thalamo*
Sponſam expulit ex thoro, tepido adhuc relicto.

Scribit & Iſidorus Hiſpal. Lib. 15. Orig. Cap. 3. quod, cum raptis à Romanis Sabinis, ex iiſdem una ante alias ſpecie nobilis, cum magna omnium admiratione raperetur, Thalamoni duci eam Oraculo reſponſum fuerit dari. Et quia hæ nuptiæ feliciter ceſſerant, inſtitutum fuiſſe, ut in omnibus nuptiis thalami nomen iteraretur. Addit, Ægyptios quoque lingua ſua, loca in quibus nubentes ſuccedunt & incubant,

cubant, *thalamum* nominare. In ædibus Priami quinquaginta erant thalami ex lapide polito junctim ſtructi, ubi filii ejus cum uxoribus cubabant, & alii ex adverſo, ubi cum filiabus generi. V. Homerus Iliad. 6. Plura ſi quis de thalamo videre avet, inſpiciat Pheiff. *de Cura Virg. apud Vet. Diſſ.* 1. §. 7. Et Feith. *Ant. Homer. Lib.* 3. *cap.* 11. Antequam hic abeam, breviter quoque agam de lecto Pilumni & Picumni, qui ſternebatur poſtquam natus erat modo infans, tunc enim recens in lucem editus, ab obſtetrice in terram ſtatuebatur, ſicque illa auſpicabatur an rectus ac vitalis foret, & ſternebatur lectus Pilumno & Picumno. Varro de Vita Pop. Rom. Lib. 2. *Natus ſi erat ſublatus, ab obſtetrice ſtatuebatur in terra, ut auſpicaretur vitalis ac rectus eſſe, diis conjugalibus, Pilumno & Picumno in ædibus lectus ſternebatur.* Ritum hunc *domeſticam religionem* vocat

Sueto-

ſuetonius in Claud. Cap. 12. *Nata-
emque geniti nepotis ſilentio , ac tan-
um domeſtica religione, tranſegit.* De
unone quoque lego, lectum illi po-
itum in domus atrio , in nobilium
puerorum ortu, ſicut Herculi men-
ſam. Servius in Virgil. Eclog. 3.
Nobilibus pueris editis , in atrio
domus, JUNONI LECTUS,
Herculi menſa ponebatur. Nova-
rinus *Sched. Lib.* 11. *cap.* 25.

Uti nutrices cuſtodiebant cubicu-
a infantum , ita etiam certi erant ho-
mines, quibus olim thalami erat cu-
ra & cuſtodia , quos Eunuchos fuiſ-
ſe ſatis conſtat , rectiſſimeque ita
dicuntur, quia τὴν εὐνὴν , id eſt le-
ctum virginum cuſtodiunt ; vel
quod bonæ ſint mentis, ἔυνȣς, & à
venereis ſemotæ. V. Alciatus in tit.
de Verb. Sign. Imo toros non tan-
tum cuſtodiebant , ſed & ſterne-
bant, dominæque dorminenti ven-
tulum flabello faciebant. Quod ſi
auctoritatibus confirmatum videre

 deſi-

deſideres, adi Koblierzijck: *De Luxu Rom. Lib.* 2. *cap.* 3. Ubi varia notat eunuchorum officia.

CAP. XIV.

De Cunis, ſive Lectulis infantum.

HActenus de Lecto nuptiali, cujus occaſione plerumque cum conjuges lectulis quoque infantum indigere ſoleant, de iis paucula hic diſſeremus: Hi Lectuli ſpeciali nomine dicebantur *Cunæ*, ſingulari tamen *Cuna* etiam uſum video Prudentium, ſive illum, quiſquis ſit, qui auctor eſt Dipthychi num. 28. *præſepe jacenti cuna erat.* Ordinario autem in plurali audiunt *Cunæ.* Ut apud Ciceron. de Senect. ſub fin. *Repueraſcere & in cunis vagire.* Et Perſ. Sat. 2. verſu 35.

Ecce avia aut metuens divum matertera Cunis
Exemit puerum, frontemque atque uda labella

Infami

Infami digito, & luſtralibus ante ſalivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit, & ſpem macram ſupplice voto
Nunc Licini in campos nunc Craſſi mittit in ædes,
Hunc optent generum, Rex & Regina; puellæ
Hunc rapiant; quicquid calcaverit hic roſa fiat.
Aſt ego nutrici non mando vota.

Quem locum integrum hic exhibeo, quia varios nobis in liberorum educatione olim uſitatos mores ſuppeditat & ob oculos ponit, præſertim in fine, ubi omnino notandum, avias & nutrices pro infantulis, luſtrico eorum die (qui octavus in puellis, nonus in pueris poſt partum erat) vota feciſſe. Ut elegantiſſime ad h. l. monuit Caſaubonus. Aliquando etiam uſurpatur Dimin. *Cunulæ* Ut apud Prudent. Cathem. 7.

 verſu

verſu 164. *Parvulorum cunulæ.* Add. Cathem. 11. verſu 98. Cunæ hæ ſive Cunulæ, alio nomine etiam audiunt *Cunabula.* Servius ad Virgil. Eclog. 4. verſ. 23.

Ipſa tibi blandos fundent cunabula
flores.

Cunabula. *Lectuli in quibus infantes jacere conſueverunt: vel loca in quibus naſcuntur, quaſi cynabula. Nam κύειν eſt Græce eniti.* Ex quibus Servii verbis, quæ & apud Iſidorum habes Lib. 20. cap. 11. diſcimus, cunas dictas videri quaſi cynas, ἀπὸ τοῦ κύειν, hoc eſt parere, quia in iis κύος, ſive κύημα, id eſt, partus, ſive foetus, reponi ſoleat. Quemadmodum & ab eodem κύειν, vel κύος, belgas forſan puerum vocare *Kindt*, ſive *Kyndt*, ſane haud ſine ratione exiſtimat Voſſius in Etymolog. voce *Cunæ.*

Neſcio autem quid ſibi velit Servius ad Virg. Æneid. 3. vſ. 105.

Mons

Mons Idæus ubi, & gentis cunabula noſtræ.

Cunabula exponens, *nutrimenta, nam ubi jacent*, inquit, *infantes, cunæ vocantur*. Per Cunabula enim hic *natalem* intelligi *terram*, ut principium hujus gentis, nullus dubito. Sic & pro primordio urbis ſumitur apud Apulej. Lib. 3. Mileſ. *Solennis diel à primis cunabulis hujus urbis conditæ craſtinus dies advenit.* Vidimus ergo Cunabula ſumi, & pro *cunis*, & pro *terra natali*, ſeu *gentis origine principiove*. Alii tamen & aliam adhuc huic vocabulo tribuunt ſignificationem, voluntque & *Cunabula* intelligi poſſe de *faſciis quibus ligantur infantes*. Quæ tamen rectius *incunabula* dici exiſtimo. Clare enim hanc in rem, Plautus in Trucul. 5. 1.

Faſciis opus eſt, pulvinis, cunis, incunabulis.

Ipſa autem *Incunabulorum* vox ſatis indicat, ea non *cunas* ſignificari, ſed

 ali-

aliquid quod cunis ineſt, ſive ut quidam volunt, ſit *lectulus*, ſive *faſciæ lineæ laneæque, quibus involvuntur infantes*, quæ Græcis dicuntur σπάργανα, ſic Gloſſæ Labbæi σπάργανα: *Cunabula.* Malo tamen cum Bartholino de puerp. vet. p. 100. per incunabula intelligere *id per quod infans cunis alligabatur, ne motu exturbaretur.* De eoque capio Plaut. in Amphitruone:

Nemo eum colligare quivit incunabulis.

Ipſa tamen *cunabula* aliquando & pro *incunabulis* accipi conſueviſſe haud male animadvertit Voſſius in voce *cunæ.* Incunabula enim, æque ac de cunabulis dixi, de rerum uſurpantur principiis. Sic Cic. Lib. 1. de Orat. Cap. 6. *Ab incunabulis noſtræ veteris puerilisque doctrinæ.* Quintil. Proem. Lib. 1. *Ab ipſis diſcendi velut incunabulis.* Cunabula autem credo & pro *lectulis* ſumi & pro *faſciis infantium.*

Cuna-

Cunabula Græcis dicuntur βαβαλιςήριον, κοιτὶς, λίκνον, & σκάφη, ex quibus ultimis vocibus elicitur forma cunarum, λίκνον enim notat Suidæ, *vannum*, *cribrum*, & σκάφη *ſcapha*. Quidam etiam ipſos vannos vel cribra & ſcaphas loco cunarum à veteribus uſurpatas volunt, in quibus deponebant infantes ominis cauſa, in ſpem divitiarum omnium & præcipue frugum terræ, ut docet Scholiaſt. Callimach. ad Hymn. 1. verſ. 48. Et ibi Spanhemius. Pari modo & in clypeis pueruli collocabantur, in fortitudinis & virtutis bellicæ præſagium; ita apud Theocritum, ab Alcmena Hercules clypeo imponitur, ut notavit ad Callimachum loco dicto, Doctiſſima Daceria. Et poſt eam Claudius in *Diatrib. de Nutric. & Pædag. Cap.* 4. De Clypeo quoque agit fragmentum Ennii apud Nonium:

Nam ubi introducta eſt, puerumque
ut laverant locant

In Clypeo. —— ——

Et apud Theocritum locus quoque eſt inſignis Idyll. 24.

Utrumque ablutum, & jam plenum lactis, alieno
Depoſuit clypeo.

Ex quibus duobus locis luce meridiana clarius apparet, ablui ſolitos veteres pueros veſperi, antequam dormituros in cunas reponerent.

Loco cunarum utebantur & vannis. Sic apud Callimachum Hymn. in Jovem:

—— *Nemeſis ſopivit in aureo*
Te Vanno.

Et auctorem Etymologici: *Veteres in vannis liberos ſuos dormire faciebant.*

Deponebant & infantes in ventilabris, in auſpicium futurarum divitiarum, ut docet iterum dictus Scholiaſtes vetus Callimachi. *In ventilabris olim infantes dormituros collocabant, in futurarum divitiarum & affluentiæ ſignum.* V. Meurſius de

Puer-

puerperio Cap. 5. (In Theſ. Ant. Græc. Celeb. Gronovii Tom. 8. pag. 1425) Aliquando verſatilibus fulcris huc illuc movebantur infantes, medicorum vero etiam ſurſum deorſumque duci potuerunt. Ad puerilium hoc cunarum genus, quæ ad latera duci poterant, refero elegantem tabulam quam ex Bartholino de Puerper. Vet. pag. 150. hic exhibeo.

Ubi præter varia ad Gynæcea veterum, rem veſtiariam & lanificium ſpectantia, obſervatu digniſſimæ Cunæ infantiles rurſum verſum trahi aptæ, in quibus jacentem puerum nutriali arte ſopire ac crepundiis vel aliis adhibitis crepitaculis delinire geſtit Cunaria, eodem plane modo quo hæc deſcribit. Arnobius Lib. 4. adverſus gentes. *Suxit fluenta mammarum, vagitum edidit, repſit? atque ut fletum poneret ineptiſſime tractum crepitaculis obtinuit auditus: Et ad ſomnos inductus eſt in*

molliſſimis cunis jacens & vocibus delinitus infractis. Quod docte ad patris opuſculum notavit filius Caſpar Bartholinus.

A cunis hiſce Voſſius in Etymol. voce *Cunæ*, format verbum *cunire*, quod proprie dici monet, de *infantibus faſcias in cunis ſtercore fœdantibus*. Aſt nullum adducit auctorem eo vocabulo uſum, & ſane, ut vetum fatear, nunquam adhuc mihi occurrit. Diximus quod *cunæ movebantur*, idque erat officium nutricum, vel ſervorum Cunariorum, & ancillæ Cunariæ. De Cunario intelligo Martialem Lib. 11. Epigr. 40.

Cunarum fueras motor Charideme mearum.

Alludit & huc Hieronymus ad Sabinianum Diaconum, *Jam tibi & ſcalæ, per quas deponeres miſeram, parabantur: Jam iter diſpoſitum, decreta navigia, condicta dies, fuga pertractata, & ecce angelus ille Cubiculi Mariæ*

Mariæ janitor, Cunarum Domini cuſtos, & infantis Chriſti gerulus, coram quo tanta faciebas, ipſe te prodidit.

Cunariæ autem mentio fit apud Gruterum in Inſcript. CCCXI.

D. M.
TEIÆ. THREPTE. SO
ROR. PIISSIMÆ. CUNA
RIÆ. RUFINÆ. V̄. V̄.
GLYPTUS. FRATER. QUI
ET. FELIX. VIVOS. VIVÆ
POSUIT.

Præerat his cunis & pueris ipſis intra cunas, Dea *Cunina* (quæ & *Cunaria* fuit dicta, teſte Struvio in *Synt. Ant. Rom. pag.* 155.) Meminit hujus Deæ Auguſt. de Civ. Dei Lib. 1. cap. 20. *Et Cunina* [colitur] *quæ infantes in cunis tuetur ac faſcinum ſummovet.* De eadem eſt Inſcriptio apud Gruterum. pag. 96.

CUNINÆ. FELICI
SACR.
CLAUDIA. HELPIS
D. D.

V. &

V. & Joh. Baptiſta Pius, in Face Artium Gruteri tom. 1. pag. 366.

Ut autem bene in cunis jacentes cuſtodirentur infantes, in veſtibulo cubiculi alumnarum cubare nutrices ſolebant, unde Cuſtodes Liminis dictæ. Ovid. Met. 10. ỽſu 383.

Murmura verborum, fidas nutricis ad aures
Perveniſſe ferunt, limen ſervantis alumnæ;
Surgit anus, reſeratque fores —

Idem Epiſt. Heroid. 21. verſ. 19.

Huc timor accedit, ne quis niſi conſcia nutrix
Colloquii nobis ſentiat eſſe vices.
Ante fores ſedet hæc: quid agamque rogantibus intus:
Ut poſſim tuto ſcribere, dormit, ait.

V. Claud. in *Diatr. de Nutric. & Pædag. Cap. 5. cap. 14.*

CAP.

CAP. XV.

De Lectis Triclinaribus.

LEctus Tricliniaris unde appelletur notius eſt quam ut multis exponam, dicti enim ſunt *tricliniares*, à *triclinio*, in quo ſternebantur. Veteribus enim cibum capturis, in cœnaculo collocabatur menſa, primis temporibus quadrata, poſtea rotunda, humilis, inferiorum quidem hominum tripes, & ex ſimplici ligno, lautiorum, citrea, aut acerna, aut lamina argentea intexta: quam pes eburneus fabrefactus puta in modum pardi aut leonis, ſuſtinebat. Tripodem ſibi optat Figellius apud Horat. 1. Sat. III. 13.

Modo ſit mihi menſa tripes: Eburnei meminit Juvenal. XI. 128. Circa eam menſam tres utplurimum lecti erant, ex quo triclinii nomen: quo etiam utitur Paulus in *l.* 19. *ff.* *de*

de S.P.V. Et Ulpian. in *l.* 5. §. 14. *ff. Commodati.* Coraſ. Miſc. Jur. Civ. lib. 6. cap. 10. Salmuth, in Notis ad Pancir. Rer. Mem. pag. 509. Varro. *Nam ut qui triclinium conſtrarunt, ſi quem lectum de tribus unum imparem poſuerunt, aut de paribus nimium, aut parum produxerunt, una corrigimus, & ad conſuetudinem communem, & ad aliorum tricliniorum analogias.* Ubi ſimul notabis morem triclinia conſternendi. Juv. Sat. 5. verſ. 17.

Tertia ne vacuo ceſſaret culcita lecto.

Vel duo etiam: Unde Plautus *Biclinium* vocavit, in Bacchid.

Biclinium Stratur &c.

—— Jam facite,

In biclinio cum amica ſua uterque accubitum eatis.

Quamvis videri poſſit, *biclinium* in d. l. non pro cœnaculo, in quo eſſent lecti ſtrati, ſed pro lecto poſitum eſſe, in quo bini diſcumberent, quod mihi magis placet, in vete-

veteribus enim marmoribus Romæ multi hujuſmodi lecti reperiuntur, in quibus duo tantum diſcumbunt, menſa appoſita tripode, quorum figuras apud Sponium in Miſcell. Erud. Antiq. & Mercurialem de Arte Gymnaſtica curioſus videre poteſt.

Thomas Bellus in Roma Reſtit. *Lib.* 3. *cap.* 31. Poſteriorem ætatem Biclinium à Veſpaſianorum imperio *ſigma* vocare cœpiſſe, duobuſque tantum conſtitiſſe Lectis, contendit. Erat autem proprie ſigma, lectus ſive torus ad menſas rotundas accommodatus, quem *ſemirotundum ſuggeſtum* vocat Apulejus Lib. 5. cum ait: *Viſoque ſtatim proximo ſemirotundo ſuggeſtu propter inſtrumentum cœnatorium, rata refectui ſuo commodum, libens accumbit.* Quod autem eſſet in forma hemicycli, aut lunatæ teſtudinis exſtructum, vocari placuit nomine literæ Græcæ, quia ut ex marmoribus conſtat antiquis,

tiquis, illa ætas *ſigma* literam ut cavam lunam ſcribebat. Unde Martialis 10. Ep. 48.

Aſpice lunata Scriptum teſtudine ſigma:
Octo capit, veniat quiſquis amicus erit.

De ſigmate ita tradit lampridius in Eliogabalo: *Primus*, ait, *invenit ſigma in terra ſternere, non in lectulis, ut à pedibus utres per pueros ad reflandum Spiritum ſolverentur.* Et poſt: *Illud ſane mirum videtur, quod dicitur ab eo factum, ut de croco ſigma ſtraverit, cum ſummos viros rogaſſet ad prandium pro eorum dignitate ſe dicens fœnum exhibere.* Dicit hic primo loco Lampridius, quod *ſigma in terra ſternere primus invenerit Eliogabalus, non in lectulis.* Qui diſcubitus (ut obiter pace tua, lector, hic addam) convivialis, ipſi naturæ, meo ſane judicio, valde erat accommodatus. Nam primo terra vere omnium noſtrum menſa eſt & dici debet, hoc

eſt,

eſt, parens atque nutrix, quæ nobis alimenta eſculentaque ſaluberrima ac jucundiſſima aſſidue gignit atque ſuppeditat, unde merito à Græcis Φερεσβίος, ac ζειδορὸς: à latinis etiam Opis fuit nuncupata. Deinde illa communis quoque omnium hominum eſt lectus, in quo & vivi & mortui recubant atque requieſcunt. Quo facit elegantiſſimum illud terræ elogium Plinianum: Terra, inquit, *eſt illa cui uni rerum naturæ partium, eximia propter merita, cognomen indimus maternæ venerationis. Sic hominum illa, ut cœlum Dei, quæ nos naſcentes excipit, natos alit, ſemelque editos ſuſtinet ſemper: noviſſime complexa gremio, jam à reliqua natura abdicatos, tum maxime ut mater operiens. Aquæ ſubeunt in imbres, rigeſcunt in grandines, tumeſcunt in fluctus, præcipitantur in torrentes: Aer denſatur nubibus, furit procellis. At hæc benigna, mitis, indulgens, uſuſque mortalium ſemper ancilla, quæ coacta*

Eta generat? quæ ſponte fundit? quos odores ſaporeſve? quos ſuccos? quos tactus? quos colores? quam bona fide creditum reddit opus? quæ noſtri cauſa alit? Hæc ille de terræ laudibus; quas nos merito Cœli terræque Conditori, Deo Optimo Maximo adſcribere debemus. Et hæc in tranſitu: redeo ad propoſitum, & ſilentio prætereundum non eſſe puto, quot convivas ſigma capiebat.

Urſinus in Append. ad Ciacc. de Triclinio Pag. 256. ſeptem cepiſſe monet, vultque, licet Martialis in loco ſupra adducto dicat *Octo capit*, verius tamen alio in loco dicere.

Septem ſigma capit, ſex ſumus, adde Lupum.

Notatu dignus videtur hic locus Lampridii in Eliogabalo: *Habuit hanc conſuetudinem, ut octo calvos rogaret ad cœnam, item octo luſcos, & item octo podagroſos* (qui forſan fertorio de quo, in diſſ. de Lecticis, illuc lati) *octo ſurdos, octo nigros, octo*



alia



Pag: 95.



cto longos, & octo pingues, cum capi
on poſſent omnes uno ſigmate, ut de
is omnibus riſus citaret. Sigmatis
guram videre ſi aveas, ecce tibi &
lam ex Urſino ad Ciaccon. de Tri-
linio pag. 257.

Et hæc impreſentiarum de ſigma-
e ſufficiant, plura de his qui ſcire a-
et, conſulat Stuck. A. C. pag.
57. Et Ciacc. d. l. Ego interim
ectum ſternam tricliniarem.

Lecti illi omnes erant pares, hu-
niles, paulo inferiores ipſa menſa.
Jt autem commodius cibum ca-
ere poſſent, menſam plerumque
ingebant, ita ut paululum aſſur-
erent accumbentes, & in cubitum
iterentur: unde Menelaus apud
Petron. 27. *cubitum ponere*, pro cœ-
are, dixit. Quod Horat. lib. 1.
Ode 27. *Cubitum premere.* Ut res
iat clarior, en tibi veterem accum-
endi modum.

Triclinares lecti ſub cœnæ horam
nſternebantur, *auleis*, *purpura*, *aut*
alia

alia veſte ſtragula, pro copia aut inco-pia convivatorum. Deque his ſtra-gulis intelligendus JCtus in *L.* 2co *ff. de Opt. Leg. Veſtimenta quæ volie tricliniaria ſumito, tibique habeto.* U praeterea eo magis commoditati conſulerent, in iis habebant pul villos, & cervicalia. Primis tem-poribus ſtrati hi lecti (pari modo ut de Cubicularibus dixi) frondi-bus & culmo vicinarumque fera-rum pellibus; Indicat priſtinam hanc continentiam Maro deſcribens benevolentiam Evandri, qua Æ-neam hoſpitem accepit.

Hæc ubi dicta, dapes jubet & ſubla-
ta reponi
Pocula, gramineoque viros locat ip
ſedili:
Præcipuumque toro, & villoſi pel
leonis
Accipit Æneam.

Ubi duo animadvertenda, primo veteres non accubuiſſe, ſed ſe-diſſe ad menſam, deinde pellibus fera

erarum in ſellis uſos. Hœdinis quoque pellibus uſum Catonem tradit Val. Max. *Lib.* 4. *cap.* 3. Loquitur ibi de Catone : *Age ſi quis hoc ſæculo vir illuſtris pellibus hædinis pro ſtragulis utatur.* Quid ſi Cato redivivus, illud inquam Romanæ urbis oraculum, non aliorum tantum Romanorum, ſed vel ſolius Heliogabali ſpectaſſet luxum, qui non accubuit in accubitis, niſi quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum, ſubalares ſæpe culcitas mutans, agmen ducens eorum qui toros aureis texere ſtragulis, ut auctor eſt in ejus vita Lampridius, ex eoque nobis exhibet Celeberrimus Almeloveen in *Rer. Invent. Onomaſt. Pag.* 77. Non ſilebo aliud Heliogabali luxuriæ exemplum, quæ eo uſque proceſſit, ut ridicula prorſus accubitoria convivis ſuis ſubſterneret, etenim in folles pro lectis apponebat, eoſque reflabat prandentibus, ita ut plerumque ſubito

bito ſub menſis invenirentur. Quod & à Vario Antonino Aug. factum, qui propterea & in amicorum conviviis Heliogabalus vocatus. Talia complura fecit hic Imperator, qui velut quodam faſtidio divitiarum, pleraque luxuriæ ſpecimina commentus eſt. V. Kobierżyck. de *Luxu Rom. Lib.* 2. *cap.* 10.

Poſterioribus temporibus ſtragula quoque habuere purpurea. Hinc Horatius ſat. 6.

Ergo ubi purpurea porrectum in veſte locavit.

Et Paulo ſuperius Idem.

In locuplete Domo veſtigia, rubro ubi cocco
Tincta ſuper Lectos canderet veſtis eburnos.

Statius Thebaid. 1.

—— *Pars oſtro tenues auroque ſonantes*
Emuniere toros, altoſque inferre tapetas

Et Martialis.

Cubi-

Cubitiſque trudit hinc & inde convivas
Effultus oſtro, ſericiſque pulvillis.

Catullus de pel. & Thet. Nupt.

Purpureave tuum conſternens veſte cubile.

Imo aliquando & *purpura auro intexta* ſtragularum vice uſurpabatur, Philo in libro de Vita Contemplativa: *Triclinia lectos habent eburneos aut teſtudineos, aut pretioſiores materiæ gemmatos, pleroſque ſtratos auro intexta purpura vel aliis floridis coloribus variis oculos allicientibus.*

Erant & è *conchylio* & *dibapha*. Cicero in 2. Philipp. *Conchyliatis Cn. Pompeji periſtromatis, ſervorum lectos in cellis ſtratos videres.* Et Lucanus Lib. 10.

Strata micant Tyrio, quorum pars maxima ſucco
Cocta diu, virus non uno duxit aheno.

Ut & *majori ex parte textili opere ſeu acu picta, opere Babilonio in varias effi-*

giata imagines. Virgilius Æneid. 1.

—— Mediiſque parant convivia tectis
Arte laboratæ veſtes, oſtroque ſuperbo.

Hinc idem *toros pictos* dixit:

Nec non & Tyrii per limina læta frequentes
Convenere, toris juſſi diſcumbere pictis.

Cicero Tuſc. 5. *Collocari juſſit hominem in aureo lecto ſtrato pulcherrime textili ſtragulo, magnificis operibus picto.* Lucanus Lib. 10.

—— Pars ignea cocco,
Ut mos eſt Phariis miſcendi licia telis.

Huc ſpectat Martialis in Apophoreto Cœnaturio:

Nec fora ſint nobis, nec ſunt vadimonia nota:
Hoc opus eſt pictis accubuiſſe toris.

Catullus de pel. & Thet. Nupt.

Hæc veſtis priſcis hominum variata figuris.

Heroum

Heroum mira virtutes indicat arte.

Uſque adeo tandem excrevit intoleranda veterum luxuria, ut lectos eburneos ſtraverint veſtibus coccinis, teſte Horatio Lib. 1. Sat. 6.

— — — ponit uterque
In locuplete domo veſtigia: rubro ubi cocco.
Tincta ſuper lectos canderet veſtis eburnos.

Dixi quomodo primis temporibus fuerint ſtragula, & quam longe poſtea luxus modum exceſſerit, nunc breviter in genere addam quæ nomina ſtragulis veſtibus dederint Græci, δαπίδες ſcilicet, ταπητες, ςρώματα, & περιςρώματα, (uti etiam monui de lectis cubicularibus) Latini vocant, *ſtragulas veſtes*, ſive *ſtragula*. Nunc autem ſciendum quid ſint *veſtes ſtragulæ*. Obſervaſſe video Clariſſimum Nicolai in tr. *de Subſt. & Pign. veſt. C.* 9. §. 4. Laurentium Vallam *Eleg. Lib.* 6. *cap.* 46. carpere id quod Ulpianus dicit in

 L. 45.

L. 45. ff. de V. S. Inſtratum omne veſtimentum contineri, quod injicitur (ſed legit hic ut ex Vallæ d. l. deprehendo, *quo amicimur*, unde ejus error) *Labeo ait. Neque enim dubium eſt, quin ſtragula veſtis ſit omne pallium περιςρωμα. In victum ergo veſtem accipiemus, non ſtragulas, in ſtratu omnem ſtragulam veſtem.* Sed Reſpondit jam ad accuſationem Ulpiani Gothofredus in Notis ad d. l. cum ita ait: *Cæterum cum hæc vox περιςρωμα deeſſet in codice Laurentii Vallæ, temere JCtum reprehendit, quaſi ſimpliciter dixiſſet, ſtragulam eſſe omne pallium: ac non potius omne pallium περιςρώμα.* Addit tamen Celeb. Nicolai & *L. 5. §. 1. ff. de Injuriis.* Super qua lege eandem ob cauſam corripiſſe ait Vallam Ulpianum, quod miror, ego ſaltem in mea, quam poſſideo, editione Vallæ, quæ eſt Cantabrigiæ impreſſa apud Eduardum Hall, Anno M. DC. LXXXVIII. non video adduxiſſe d. l. 5. cum ejus ibidem non

non faciat mentionem, quod etiam non opus erat, minime enim huc facit d. l. quod ut rectius percipiatur, en ejus verba, in d. §. 1. *Inter pulſationem & verberationem hoc intereſt, ut Ofilius ſcribit: verberare eſt cum dolore cædere: pulſare ſine dolore.* In ſequenti vero capite recte ſuper hac lege ait Valla, ſed illud huc non pertinet. Siitaque nunc diceret JCtus *Inſtratum omne veſtimentum contineri quo amicimur*, ut putat Valla, juſtas eum carpendi haberet rationes cum autem dicat, *quod injicitur*, corrunt illæ.

Pergit Dn. Nicolai, Ulpianum „& Labeonem Alexander ab Ale„xandro tutatus eſt Gen. Dier. „Lib. 3. cap. 19. & primum aucto„ritate Tranquilli in Nerone cap. „50. Funeratus eſt, inquit Nero „impenſa ducentum millium ſtra„gulis albis auro intextis, quibus „uſus Kalendis Januariis fuerat: „Addit auctoritatem Pompeji Feſti

 „Scri-

„Scribentis *Veſtis generaliter dicitur* „*ut ſtragula, ut pallium, tunica, vel penula.* Male autem hic Feſti adducuntur verba ab Alexandro, ita enim habet : *Veſtis generaliter dicitur, ut ſtragula, foren ſis, muliebris. Veſtimentum pars aliqua ut pallium, tunica,* ~~*pallium*~~ penula. Ait igitur veſtem dici omne id quo quis veſtitur, veſtimentum partem aliquam veſtis, ut tunicam, pallium, ſed diſcrimen illud non obſervatur. V. Scaliger. in Not. ad h. l. Primo quod Feſto imputat ibidem Scalige reum dicere, *veſtem dici omne quo quis veſtitur*, ex Feſto non video, contrarium vero innuere videtur, dicit enim *Veſtis generaliter dicitur, ut ſtragula*, ergo & ſub veſtium nomine comprehendit ſtragula quibus tegebantur homines, vel quæ hominibus cubantibus vel accumbentibus ſubſternebantur, æque ac veſtes quibus ſe induebant, in quo priori ſignificatu nos ſtragulas veſtes lectis triclinaribus adhibitas intelligimus,



gimus, recte vero putamus Scaligerum in Not. d. l. dicere differentiam illam inter veſtes & veſtimenta, ut veſtimenta ſint pars veſtis, non obſervari.

Inceperam antea dicere in Lectis tricliniaribus habuiſſe & *pulvinos*, quod firmo ex Varrone Lib. 8. de Ling. Lat. *quis facit mappas tricliniares non ſimiles inter ſe? quis pulvinos?* Et Martiale Lib. 3.

Cubitis trudit hinc inde convivas
Effultus oſtro ſericiſque pulvinis.

Rem luce meridiana clariorem reddit hæc menſa ubi accubantes cubito pulvinis innixi conſpiciuntur, quam ex Ciacconio promo.

Aliquando & aggeratis, ut inquit Apulejus, in cumulum ſtragulis, utebantur pro pulvinis. Sic enim ait Lib. 2. De Aſino. *Ac ſic aggeratis in cumulum ſtragulis, effultuſque in cubitum, ſuberectuſque in torum.* Sciendum autem eſt, quomodo his pulvinis fuerint uſi: Proni cœnæ

 initio

initio in ventrem decumbebant pulvinis pectoribus appoſitis, quo utraque manus ad veſcendum eſſet liberior, procedente autem tempore in cubitum ſe reponebant, aut ſi loqui nollent, ſupini jacebant. Hinc Plutarchus Lib. 5. Sympoſiac. Quæſt. 6. Quærit, cur cœnæ initio anguſte, & poſtmodum laxius diſcumberent? eamque reddit rationem, quod principio in ventrem, poſtmodum vero laxius diſcumberent, quia ſupini. Unde Horatius Lib. 2. Sat. 4.

Languidus in cubitum jam ſe conviva reponens.

Inter Lectos & triclinii parietes relinquebatur tantum ſpatii, quantum ſatis eſſet ſervis, ad miniſtrandum, qui dicebantur *Ad pedes* ſtare. Martial. 3. Ep. 82.

At ipſe retro flexus ad pedum turbam.

& VII. ep. 19.

Miſto lagenam replet ad pedes vino.

Senec.

Senec. lib. 3. de Benef. *Servus qui cœnanti ad pedes ſteterat.* Suet. in Calig. cap. 36. *Quas plerumque cum maritis ad cœnam vocatas, præterque pedes ſuos tranſeuntes diligenter ac lente mercantium more conſiderabat.* Sic Luc. 7: 38. *Ad pedes Chriſti diſcumbentis mulier peccatrix ſtetit, quaſi miniſtrans.* V. Laurentius de Conviv. Vet. Cap. 1. (in Theſ. Ant. Græc. Celeberrimi Gronovii tom. 9. pag. 167.) Et Bulleng. de Imper. Rom. Lib. 2. cap. 34.

Ad menſam priſcis temporibus ſedebant, quod confirmari videtur teſtimonio *Homeri Odyſſ.* 10.

Sedebamus ſumentes multas carnes,
& vinum ſuave.

Et Athenæi lib. 8. Deipnoſoph. ita ſcribentis: *Neque mos erat antiquorum, ut reclinato corpore recumberent, ſed ut ſedentes comederent.*

Et Serv. ad illum Virgilii locum.

—... hic ariete caſo
Perpetuis ſoliti patres conſidere menſis.


Majores enim noſtri, ait, ſedentes epulabantur: quem morem habuerunt à Laconibus & Cretenſibus ut Varro docet *Lib. de Pop. Rom.* Serv. *ad Virg. Æneid.* 7. 176 *Et.* 1. 712. Sed ad hanc morum diſſenſionem, inter priſca illa tempora quibus ſedebant, & ſequentia quibus accumbebant (ut mox demonſtrabo) conciliandam; duæ erunt majorum ætates conſtituendæ: Et in priore dicemus, ſummam fuiſſe continentiam vitæ, ſummam duritiem & ſeveritatem, quæ qualibet ſeſſione facile contenta erat ad parce duriterque vivendum: In altera vero maximam luxuriam, molliтiem, & ingentes delitias, ubi quæſita eſt hæc mollis accubatio poſt balnea ad delicatius molliuſque epulandum. *Gualtherius ad Horat. lib.* 1. *Sat.* 4. Vid. *Salmuth. in Not. ad Panciroll. Rer. Mem. pag.* 510. *& ſeqq. Th. Bellus in Roma Reſtit. lib.* 3. *cap.* 31.

Poſte-

Poſterioribus temporibus non ſedebant, ſed cubabant, unde accubuiſſe menſæ Hebræos, Græcos, Romanos, paſſim legimus. Servator quoque noſter Jeſus Chriſtus, in ultima cœna cum diſcipulis ſuis accubuit, ubi Joannes XIII. 23. dicitut *ἀνακεῖϛαί ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ Ἰήσοῦ*, h. e. *in Chriſti ſinu incubuiſte*: & paulo poſt *ἐπιπεσὼν ἐπὶ ϛῆθος ἀυτȣ*, id eſt, *pectori Jeſu incubuiſſe*: ſcilicet juxta iſtius temporis conviviorum morem, cum in ſumendo cibo protenſi recumberent humi, ſeu in pavimento lectis inſtrato, ita ut quaſi circulum quendam facerent, capitibus quidem ſemper introrſum ad epulas, pedibus vero extrorſus porrectis, quare ſemper ſequens in prioris ſinu recumbere videbatur, dum caput ejus quaſi incumbebat pectori ſuperius accumbentis, ſic ergo tunc accubuit Joannes, ut caput haberet in ſuo lectulo verſus Jeſu caput, itaque facile attingere

 ſinum

ſinum ejus potuit, hic igitur illud notandum eſſet: illam Joannis recubationem in ſinu Jeſu, argumentum fuiſſe puri, ſanctique illius amoris erga diſcipulum illum ſuum chariſſimum. Sed ardua hic oritur quæſtio, quomodo Chriſtus dicatur cum diſcipulis ſuis accubuiſſe, ſive recubuiſſe, cum tamen moris fuerit agnum Paſchalem ſtantes ut aſſumerent. Theophilactus, Beza, & Camerarius volunt, *Chriſtum primo ſtantem comediſſe Paſcha, deinde diſcumbentem tradidiſſe proprium myſterium*, πρῶτον μὲν γὰρ τὸ τυπικὸν τελέσαι, εἶτα ἀναπεσῶν τὸ ἀληθινὸν ἐπετέλεσε. Tremellius, vir doctiſſimus, de hoc Chriſti diſcubitu ſic diſſerit: *Chriſtum diſcubuiſſe memorant Euangeliſtæ in cœna, qua Paſcha comedit, quod primo intuitu cum divino inſtituto videtur pugnare, præcipitur enim Exodi cap.* 12. *vſ.* 3. *ut edentes Paſcha lumbos accinctos, pedes calceatos habeant, & baculum teneant mani-*



manibus, & ut ita comedant, quæ fieri nequeunt à diſcumbentibus. Sed ſciendum eſt, ibi præcipi, qua ratione exituri ex Ægypto, prima illa vice comedant Paſcha, paulo antequam exeant ex Ægypto, & iter ingrediantur, quia ita exigebat temporis illius neceſſitas: In lege vero, ubi præcipitur, ut cæremonia illa Agni Paſchalis quotannis renovetur, ea non adduntur. Nihil ergo in cœna Domini factum eſt contra legem. V. Antonius Bynæus de Morte Jeſu Chriſti Lib. 1. cap. 6. §. 23. Figura Chriſti cum diſcipulis accumbentis, quo res fiat clarior, videri poteſt apud *Tomaſ. de Teſſer. Hoſp. c.* 19. *p.* 143. *& Goeree, Voorbereidſ. tot de Bybelſche Wijsheid V. Boek* 2. *capit. pag.* 589. Ciaccon. de Triclin. p. 99. ex quibus illam ſimul hic quoque exhibeo. Et quidem hæc ſuper hac cœna Chriſti, de qua infra plura daturi ſumus.

Tricliniariorum lectorum materiam ſi ſpectes, pro temporum ratione varia reperitur. Primis temporibus

poribus fuerunt ex herbis (quod & antea de cubicularibus monuimus) ſive cæſpitibus, atque graminibus, aut paluſtri ulva, unde & *lectos, toros*, *ſtibadas*, ſive *ſtibadia* & *ſtrata* antiquitus appellarunt. Sequentibus temporibus, ex lignis, & præſertim ex acerina materia, aut fraxino confecti ſunt, quem morem ab Arcadibus & Bœeticis Romanos ſumpſiſſe contendit Lazius *Lib*. 5. *de Rep. Rom.* Qui lecti *Archaici* videntur dicti ab Horatio *Lib*. 1. *Epiſt. ad Torquatum.*

Si potes Archaicis conviva recumbere lectis.

Turnebus in ſuis Adverſ. 1. cap. 8. Archaicos vult dictos ab Archia artifice, ideoque legit *Archiacis.* At Lambinus, ut & Nannius Miſc. 4:18. Archaicos Græco vocabulo, priſcos ſive antiquos eſſe intelligendos, antiquo more fabricatos, quaſi antiquæ luxuriæ conſuetudinis, non recentis luxuriæ, & ſic eodem ſenſu Dioni-

Dioniſius Halicarnaſſæus τραπέζας ξύλινας ἀρχαικὰς, dixit.

In materia præcipue veterum apparuit luxus, qui in tantum excrevit, ut ſplendidioris fortunæ homines lectos habuerinr *citreos*, *æratos*, *argento & auro opertos*, *eburneos*. Citreos quidem habuiſſe lectos credo, quod autem quidam id probant ex hiſce Perſii Sat. 1.

Non quicquid denique lectis ſcribitur
in citreis.

Mihi non arridet, potiuſque locum illum intelligendum puto de *Lecticis*, in quibus commodius quis ſcribere potuit quam in *Lectis*, & præterea lectis tricliniaribus uſi ſunt antiqui ad accumbendum non vero ad ſcribendum, in lecticis vero hoc quidem fecerunt. Quoad *æratos*: *Cn. Manlium primum, cum Romani Aſiam ſubjeciſſent, triclinia* (ſic lectos vocat) *ærata Romam advexiſſe* teſtatur Plinius *Lib.* 33. *cap.* 11. Lectorum eburneorum ac teſtudineorum crebra

crebra apud ſcriptores mentio. Sic Varro Lib. 8. *Lectos alios ex ebore, alios ex teſtudine apud Romanos fuiſſe,* dicit. Et Martialis 12. ad Amœnum.

Gemmantes prima fulgent teſtudine lecti.

Laminarum argentearum in toro diſcubitorio meminit Suet. in Calig. cap. 32. *Romæ,* inquit, *in publico epulo ob detractam lectis argenteam laminam confeſtim carnifici tradidit; Ut manibus abſciſſis, atque* ante pectus *è collo pendentibus, præcedente titulo quæ cauſam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumduceretur.* Notabilis quoad hanc ſervorum furacitatem eſt locus Juvenalis 13: 150.

Hæc ibi ſi non ſunt, minor exſtat ſacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis, & faciem ipſam
Neptuni, qui bracteolam de Caſtore ducat.

Et Martialis.

An

An magis aſtuti deraſa eſt ungue miniſtri
Bractea, de fulcro quod reor eſſe tuo.

Solebant enim ſervi furaces ex tricliniis detrahere aurum, & argentum, unguibus cultriſve.

Tricliniarium lectorum ſæpies fit quoque mentio in ſacris literis. Sic Eſther. Cap. 7. Com. 8. *Aman in cœnaculo, quod domus convivii vocatur, dicitur cecidiſſe ſuper lecto in quo erat Eſthera.* 2 *Reg.* 4. *Comm.* 10. *Faciamus quaſo cœnaculum parietis parvum, & ponamus ei ibi lectum, & menſam, & ſellam, & candelabrum.* Ezech. 23. Comm. 40. & 41. Iſraelitarum idololatriam, atque ſuperſtitionis ſtudium depingit, allegoria ducta à ſcortationibus, & quæ cum illis conjuncta ſunt, compotationibus & commeſſationibus inhoneſtis: *Propter quos*, inquit Deus, *te lavisti, & ſtibio fucaſti oculos tuos, & ornaſti te ornamento* (alludit ad morem meretricum, qui ante epulas ſeſe

ſeſe lavare, comere & ornare ſolebant, quo magis amatoribus ſuis placerent. *Et ſediſti ſuper lectum honorabilem, menſaque præparata eſt ante ipſum, & thymiama meum & unguentum meum poſuiſti ſuper eum.* Mentionem hic nota menſæ, ſuffitus, unguentorum quæ omnia in conviviis fuerunt uſitatiſſima.

Deſcriptis hactenus ſtrictim lectis tricliniaribus, modum quoque in iis accumbendi apud veteres uſitatum paucis quoniam id res exigere videtur ſubjungemus. Accumbebant reclinata ſupera parte corporis in cubitum ſiniſtrum, infera in longum porrecta, capite leviter erecto. Huc pertinet illud Plauti in Mil. Glor. 3. ſc. 1. ℣ſ. 164.

Sed procumbunt, & ſe percellunt
dimidiati.
Dum appetunt.

Et Horatii. 2. Sat. 4.

Languidus in cubitum ſeſe conviva
reponit.

Idem

Idem Lib. 1. Ode 27.

Et cubito remanete preſſo.

Sed quando nunc accumbebant in lectis, acriter diſceptatur inter eruditos, quiſnam locus fuerit digniſſimum? Quidam putant, eum qui primus & ad caput lecti decumbebat, *ſummum* fuiſſe dictum: Qui ad pedes *Imum*: Qui inter iſtos *Medium*. Alii aliter rem concipiunt, & quidem Cl. Lipſius *Ant. Lect. Lib.* 3. *cap.* 1. aliique, quorum & ego ſententiæ ſubſcribo, exiſtimant, non *ſummum* ſed *medium* locum fuiſſe digniſſimum & honorificentiſſimum habitum. Quod confirmat Cicero. 9. 26. ad Pætum. *Accubueram hora nona dices ubi? apud Volumn. Eutrapelium: Et quidem ſupra me Atticus, infra Verrius; familiaris tui.* Ecce, ſummus Atticus fuit, medius Cicero, quid autem clarius eſſe poteſt quam Ciceronem conſularem ſenem, digniſſimo loco accubuiſſe. Sic & Virgilius Æneid. 1.

Verſu. 701. *Mediamque Locavit.* Ubi Servius. *Ipſe enim apud majores Domini fuerat locus.* Ut aperte & docet Salluſt. Lib. 3. Hiſt. Fragm. *Igitur diſcubuere, Sertorius inferior in medio, ſuper eum Tuſcus Fabirus Hiſpanienſis, ſenator ex proſcriptis, in ſummo Antonius, & infra, ſcriba ſertorii Verſius: & alter ſcriba. Mæcenas in imo, medius inter Tarquitium, & Dominum Perpernam.* Ad quem locum vide quæ fuſe notavit Salmaſius.

Scythis eandem fuiſſe conſuetudinem refert Pomponius mela. Quem Romanorum morem ſervaſſe veroſimile eſt Chriſtum Servatorem noſtrum, non minus ac reliquos ejus gentis ritus, cui tunc parebant Syria & Paleſtina. Unde pictores concinne ipſum in medio triclinii, extrema inter Apoſtolos cœna, locant. V. Tomaſinus de Teſſ. Hoſp. Cap. 19.

Alii tamen volunt Chriſtum ſi-

gmati

gmati accubuiſſe ac proinde dextro in cornu, non in medio. V. Sirmond. ad Sidonium Apoll. Pag. 23.

Viſo ordinario accumbendi modo progrediamur ad accubitum ſigmatis ſeu ſtibadii, quem hiſce deſcribit Sirmondus ad Sidonium Apoll. 1. Ep. 2. pag. 22.

„Sigmatis porro duo erant ex-
„trema velut cornua. Cum igitur
„in dextro ſtibadii cornu collocet
„Majoranum, in ſiniſtro Conſulem
„ſeverinum, dubium non eſt,
„quin primus ille locus habitus ſit,
„quem occupat Imperator, proxi-
„mus quem Conſul. Neque in
„his opinor eſt quod miremur. Hi
„duo etiam apud nos primi & exi-
„mii accubitus, ſumma cornua Ju-
„venco Lib. III.

„*Si vos quiſque vocat cœnæ convi-*
„*via ponens.*
„*Cornibus in ſummis devitat ponere*
„*membra*
„*Quiſque ſapit.*

„Id

„Id novum potius videri queat, & „ab uſu noſtro remotius, quod „tertius, quartus, ac reliqui dein„ceps illum ordinem ſubſequantur „qui primus eſt in cornu ſiniſtro. „Nam poſt Severinum conſulem „ſequitur Magnus ex conſule, tum „Camillus, Pæonius, Athenius, „Gratianenſis, ultimuſque Sidonius „ad dextrum cornu vergens, in „quo jacebat Majorianus. Itaque „in pleno ſtibadio ultimus primo „proximus erat, à primo eodem „remotiſſimus, exadverſo ſecundus. „Nec alius ordo fuit in Maximi „convivio, cui interfuit S. Marti„nus apud Sulpitium Severum, & „alios. In dextro enim cornu Ma„imus Aug. in ſiniſtro conſul Evo„dius, dein Comites Maximi fra„ter ac patruus, & reliqui ordine „proceres deſcribuntur, & inter „hoc medius præsbiter Martini. „Extra ſtibadium vero, in ſella „Martinus ad dextram Maximi.

„Pau-

„Paulinus Lib. III. de vita Mar-
„tini, cum proceres commemo-
„raſſet.

„*Hos inter medius, qua ſigma fle-*
„*ctitur orbe,*
„*Præsbiter accubuit: dextra læva-*
„*que potentum*
„*Ordo ducum, membris ſuper aurea*
„*fulcra locatis*
„*Preſſit ſubjectum pretioſi velleris*
„*oſtrum.*
„*Ad dextram regis ſancto venera-*
„*bilis ore*
„*Conſedit Senior.*

„Qui profecto ad dextram Maximi
„ſedere non poterat, niſi Maximus
„in dextro cornu accumberet. Ho-
„noratiſſimus ergo ſtibadii locus
„cornu dextrum, ut diximus, pro-
„ximus ſiniſtrum. Quare apud
„Gregorium Turon. I. Mirac. XXC.
„Arrianus ille, qui dextræ partis
„cornu occupat, & Catholicum
„Sacerdotem hoſpitem ſuum in ſi-
„niſtro ſtatuit, ludibrio illum hac

„etiam in re ut in cæteris habet.

Et quidem hæc de ſigmate ſufficiant, redeo ad propoſitum de lectis, notandumque puto, non ſingulos convivas ſingulares habuiſſe lectos, aſt aut ternos aut plerumque quaternos, unum occupaſſe lectum. Hinc Horatius 1. Sat. 4.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Tribus tamen & plures in lecto accubitorio jacuiſſe Martialis notat. 9. *Ep.* 60. Si plures, ſordidum id & minime lautum habebatur. Unde Cicero in Piſonem. *Nihil apud hunc lautum, nihil elegans &c. Græci quini ſtipati in lectulis, ſæpe plures.* Hinc fiebat, ut ex una communi menſa vix ultra duodecim veſcerentur: A quo numero illa Auguſti cœna famoſa apud Suet. Cap. 70. δωδεκάθεος dicta, ſcilicet à duodecim illis Diis majoribus, quos in verſus duos Ennius coarctavit:

Juno,

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

In Lectis antequam adhuc accumberent, togas mutabant veſtibus, quas à re *cœnatoria* dixerunt. Petronius (*Cœnatoria repetimus, & in proximam cellam ducti ſumus, in qua tres lecti ſtrati erant.*

Mundities quoque veterum ſimul hic animadverti poteſt ex eo, quod ſoleas pedibus demebant, ne lectum in quo cubabant, conſpurcarent. Et ita intelligendus Plautus in Truculento. 2. 4.

Jam rediit animus, deme ſoleas, cedo vinum.

Martialis.

Depoſui ſoleas, adfertur protinus ingens
Inter lactucas Oxygarumque liber.

Terentius. *Heautontim.* 1. 1.

Adſido: accurrunt ſervi: ſoccos detrahunt,

Video alios feſtinare, lectos ſternere,
Cœnam apparare.

Sed de hac ſolearum depoſitione, & more lavandi pedes veteribus uſitato, cummaxime nihil amplius dico, ſed curioſo plura de hiſce petenti commendo, ut videat Barthium Adverſ. *Lib.* 6. *cap.* 11. Turneb. Adverſ. *Lib.* 30. *cap.* 38. Taubman. ad Plauti *Trucul.* 2. 4. *&* 5. Torrent. ad Horat. *Lib.* 2. *Sat.* 8. Geierum diſſertatione Philologico Hiſtorica de Veterum Ebræorum ratione cœnandi. Scaliger. de Emendat. Temp. Fol. 534. Laurentium Ramirez de prado pentecontarchi Cap. 12. Et ad Martialem Comment. Ciacconium de Triclinio & ad eum Fulvium Urſinum in Notis. Stuck. Antiq. Conv. Lib. 2. cap. 27. Th. Bell. in Roma Reſt. Lib. 3. cap. 31. Lipſ. Antiq. Lect. 3: 1. Balduinum de Calceo Antiquo Cap. 11: 21. & 26. Mercurial. de Arte Gymn. Lib. 1. cap. 11. Stegerum de Lotioni-

tionibus veterum Cap. 7. Sagittarium de *Nudiped. Vet. Cap.* 1. §. 24. Carolum in Ant. Oeconom. p. 107. Utrumque hunc ritum modo adductum & obſervatum, Chriſtus quoque in ultima cœna cum diſcipulis accubiturus obſervavit, quod jam notavit Caſalius de *Rit. Sac. & Prof. Cap.* 25. Cujus verba huc transferam. „Romani accubituri „veſtem mutabant, & Chriſti di„ſcipulos veſtem mutaſſe apparet, „quod adoleſcens (quem Joannem „fuiſſe Ambroſius teſtatur) à cœna „in hortum cum Chriſto ſecedens, „*Amictus ſindone ſuper nudo*, oſten„dit ex Marc. 14. quaſi veſte Cœ„natoria adhuc indutus, quod ſi „ſolitum illi, & quotidianum fuiſ„ſet, non utique ab Euangeliſta „memoriæ traderetur: Et in mar„moribus antiquis videmus, ac„cumbentes una tantum veſte ſu„per nudo: pariter & ille, qui „non indutus veſte nuptiali in con-

 „vivium

„vivium irrepſit, in tenebras exte-
„riores projici jubetur. Matth. 22.
„Et hanc eandem cœnatoriam ve-
„ſtem habuiſſe Chriſtum in ultima
„cœna tradit Baronius in annum
„XXXIV. Ubi Spondanus. n. 12.
„Soleas illi deponebant accubituri,
„nudiſque pedibus cœnabant: Et
„Chriſtus nudos Diſcipulorum pe-
„des abluit, & Maria ipſius Domi-
„ni nudos pedes lacrymis rigat;
„cum calceatum inceſſiſſe Chri-
„ſtum innuat Joannes Baptiſta,
„Matth. 3. & Marc. 6. legatur,
„miſiſſe Chriſtum Diſcipulos, ut
„Euangelium prædicarent, non ha-
„bentes æs in zonis, ſed tantum
„calceatos Sandaliis. Alios ſi vis
ritus, quos Chriſtus cum Romanis
habuit eoſdem, ecce; Romani tri-
bus lectis in cœnaculo ſtratis appa-
rabant convivia, idem fecere Chri-
ſti diſcipuli cœnam illam apparaturi
quæ fuit extrema ante paſſionem.
V. Lucæ cap. 22. Comm. 11: 12.

Tribus

Tribus autem lectis eos cœnaſſe indicio eſt, quod cum tredecim eſſent, in eandem omnes patinam porrigebant manus: quod ſi menſæ perpetuæ fuiſſent, fieri haudquaquam poſſet. Unde Chriſtus Matth. 26. Comm. 23. *Qui intingit manum in parop ſide is me tradet.* Neminem ex illis hac voce deſignans cum omnes id ex æquo facerent. Romani aliquando quini in lectis diſcumbebant, & Chriſti diſcipulos veroſimile eſt, quinos duobus in lectis diſcubuiſſe, in reliquo tres tantum, ipſum Dominum, & Joannem, & fortaſſe Petrum. Ut breviter de hac Chriſti cœna dicam, notandum puto, Dominum & Redemptorem noſtrum, in iis conviviis quæ dum inter homines eſſet, inivit, omnia more Romano voluiſſe adminiſtrari, quoniam Hebræi jam inde à Pompejo in ditionem poteſtatemque redacti, ad Victoris Dominantiſque populi inſtituta ſe victuſque ſui rationem

tionem accommodaverant. Et hæc ſunt quæ quoad hanc cœnam præterire non potui. Convenientias omnes inter cœnam Chriſti & Romanorum ſi quis ſcire aveat, adeat Ciacc. de *Triclin. pag.* 97. *& ſeqq.* & eaſdem carptim collectas à Caſalio de *Rit. Sac. & Prof. Part.* 1. *Cap.* 25.

Diximus ante quod Lecti tricliniares fuerint *humiles*, potentiorum tamen & opibus excellentiorum, præcipue poſterioribus temporibus, fuiſſe *altiores* quidam exiſtimant, dicentes, tricliniares etiam iſtos lectos in quibus Chriſtus cœnabat, altiores fuiſſe, idque probant ex eo, quod mulier illa peccatrix, non incurvata non genu nixa, dum Chriſtus accumberet, ſed *ſtans* pedes ejus oſculata unguento ſuperfuderit (ſecundum morem iis temporibus receptum, quo non ſolum caput & pedes inungebant, verum unicuicorporis parti idonea unguenta aſſigna-

gnabant.) Quod refert Lucas VII. verſ. 38.

Ego propter altitudinem pretioſiores fuiſſe lectos non putaverim, ſed lectos pro altitudine menſæ alios aliis tantum credo fuiſſe altiores, debebant enim paulo eſſe (ut dixi) inferiores menſa, ac proinde obſervari debebat proportio inter menſam & lectos: quod Tricliniares Chriſti lectos altiores fuiſſe probare moliantur exemplo iſtius mulieris mihi non ſatisfacit, dicitur quidem in d. Lucæ loco, quod *Stans* opus hoc peregerit, procul dubio tamen ſeſe inclinavit, quæ minime ſibi ſunt contraria; Qui enim ſe inclinat, tamen poteſt ſtare, præterea ſi mulier (ut quidam putant) genu fuiſſet nixa, annotarat hoc forſan Lucas, qui tam accurate hanc hiſtoriam refert, ut non omittat etiam locum ipſum ubi ſteterit, *retro* ſcilicet, *pedes Chriſti*, qui tanta enim diligentia obſervaverat omnes cir-

cumſtantias, genuflexionem omiſiſſe minime ſuſpicor, eoque facilius ſtans hoc fecit, quia mulierum crines ordinario virorum ſunt longiores, imo longiſſimæ, ut adeo inde non poſſe concludi exiſtimem, lectum hunc Chriſti ordinario fuiſſe altiorem.

Redeo ad lectos tricliniares ordinarios, de quibus proprie eſt ſermo noſter. Super quid ſternebantur lecti, non tam accurate eſt proditum, conjicere tamen licet; lectos hoſce ſupra tabulata fuiſſe extenſos, quæ nonnunquam etiam apud Hebræos ex argento, aurove conflata fuiſſe colligere poſſumus, ex primo Capite Heſther, in illius magnifici convivii deſcriptione, quod pariter à Romanis factum teſtatur præ cæteris Plinius Lib. 33. cap. 11. Primis tamen temporibus cum non tam late adhuc excreviſſet veterum mollities, lignea tantum ſimplicia ejuſmodi habuiſſe tabulata, probo ex eo, quod ex Seneca

notat

notat Agellius Lib. 12. cap. 2. nempe Sotericum lignarium fabrum extitiſſe, qui lectos tricliniares ligneos faciebat, unde venit proverbium, ut cum vellent rem exigui pretii nec multi artificii ſignificare, Sotericis lectis aſſimilarent.

Habebant etiam ſua (quod & de cubicularibus dixi) hi tricliniares lecti, fulcra, ad quæ ſedentes veſcebantur liberi, Teſte Suet. in Claud. Cap. 32. *Adhibebat*, ait, (Claudius nempe) *omni cœnæ & liberos ſuos cum pueris, puelliſque nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum ſedentes veſcerentur.* Aſſidebant igitur pueri, dum patres ac domini diſcumberent. Hinc patet nullam non adhibuiſſe parentes curam in filios filiaſque, ita quidem ut ne per convivii tempus ex oculis dimiſerint. V. Pheiff. de Cura Virg. Diſſ. 2. §. 12. De fulcris hiſce Suet. in Aug. Cap. 64. *Neque cœnavit una, niſi ut in imo lecto aſſiderent.* Ubi

per *imum lectum* omnino hæc *fulcra* intelligo. Idem confirmat Tac. Lib. 13. Ann. Cap. 16. *Mos habebatur, principum liberos cum cæteris idem ætatis nobilibus ſedentes veſci in adſpectu propinquorum, propria & parciore menſa.* Nota quod hic dicatur *propria & parciore menſa*, unde forſan quis concludet, ergo non ad *fulcra lectorum*, ut modo dictum, ſed nego conſequentiam, poſſunt enim ſediſſe ad fulcrum lecti, vel ut clarius dicam, apud fulcra lectorum parentis & tamen ſpecialem habere menſam, ut vult Tacitus. Rationem ſi quæris, quare *ſederint*, hanc do; quod accubitum puerorum, quaſi luxuriæ ritum, illi ætati non decorum, ſpernebant antiqui. Addam & hoc, ipſas quoque fœminas cubantibus viris ſedentes cœnaſſe. Ut prodit Val. Max. Lib. 2. cap. 2. *Fœminæ*, inquit, *cubantibus viris ſedentes cœnitabant.* Unde *ſedentes in gremio mariti* dicuntur à Colvio ad

Apulej.


ΗΔΨC ΒΙΟC ΤΟ ΖΗΝ ΓΛΥΚΥ ΤΟ ΘΑ Ν ЄΙΝ ΨΠΟΦΙΑ.

Apulej. Pag. 20. Exceptionem tamen admittit in maritis & amantibus Corradus ad Virg. 1: 702. cum ita loquitur: *mulieres non accumbebant in eodem lecto cum viris, niſi forent mariti vel amantes.* Eum tamen, de quo modo dixi, morem priſcum, poſterioribus temporibus ſublatum autumo. Ut id quod dixi firmem, lapideum hic ſiſto monumentum in cippo aut pilo veteri, ubi ſuper ſcamnis aut fulcris pueri cœnitant, dum in toro diſcumbit Dominus, uti hoc nobis exhibet Boiſſardus Parte 4. pag. 145. Simulque hic notandum dico, Citha riſtriam quoque illic ſedere procul à menſa, non in ſcamno ſed in ſella altiori, acroama dantem convivis.

Sedebant etiam aliquando ad imum lectum in ſcamno aut ſuppedaneo ſervi, ut vult Chimentell. de Hon. Biſ. Cap. 29. Eoque reſpexiſſe putat Sagarinum & Stichum

bina mancipia apud Plautum in Sticho Act. 5. Sc. 4.

—— —— potius in ſubſellio
Cynice accipiemur, quam in Lecto.

Gratiores tamen qui erant hero ſervuli, illinc è menſa ſummulam cibi accipiebant. Unde Martialis Lib. 3. Ep. 23.

Omnia cum retro pueris obſonia tradas
Cur non menſa tibi ponitur à pedibus?

Lectorum dubio procul intelligit pedes, ubi pueri ſeſſitabant. Ludit hic ingenioſus Poëta, quia iſti pueri aut ſervi dicebantur *à pedibus*, quod antea pluribus oſtendi, *Ad pedes, & Circum Pedes*, ut vult d. l. Chimentellius.

Sediſſe ad pedes lectorum ſervos aliquando, luce meridiana clarius apparet ex Petron. Fragm. pag. 51. *Camellam, inquit, grandem juſſit miſceri, potiones dividi omnibus ſervis, qui ad pedes ſedebant.* Dico *aliquando*,

do, quibuſdam enim occaſionibus, ſi forte homines eſſent ditiores, ſtantes miniſtraſſe non dubito: interdum & in cellis vel alia in ædium parte cibum capiebant ſervi. Longitudinem & latitudinem lectorum cubicularium quoniam ſupra dixi, nec tricliniarium tranſibo. Longitudo eorum erat pedum ſex & paulo plus, latitudo vero trium pedum, ut ſcribit Ariſtoteles in Mechanicis Sect. 25. Plura qui de his lectis tricliniaribus videre avet, eum remitto ad Ciaccon. de *Triclinio*, Urſin. in *Append.* Bullenger. de Conviviis *Cap.* 30. *& ſeqq.* Roſin. *Antiq. Rom. Lib.* 5. *cap.* 28. ibique Dempſter. in *Notis.* Caſal. de *Rit. Sac. & Prof. p.* 1. *Cap.* 25. Lipſ. *Ant. Lect. Lib.* 3. *Cap.* 1. Stuck. *Antiq. Conviv. Lib.* 2 *cap.* 24. Caſalium de Conviv. Cap. 1. Baccium de Conviv. Lib. 1. c. 8 & ſeqq. Ex quibus ea quæ de his lectis tricliniaribus hic protuli, potiſſimum me hauſiſſe lubens agnoſco.

CAP. XVI.

De Lectiſterniatoribus

LEctis verbo ſubjungam *Lectiſterniatores.* Servus qui ſternendis lectis præerat, quique ob id *lectiſterniator* à *Plauto in Pſeudolo A.* 1. *ſc.* 2. ℣ſ. 29. dicitur, curabat per mediaſtinos, ut opinor, ſcopis mundari triclinium, priuſquam lecti ſternerentur, ut indicat Plaut. in Pſeud. d. l.

Hæc cum ego à foro revertor, facite ut offendam parata,
Vorſa, præſterga, ſtrata, lautaque, coctaque omnia uti ſint;
Nam mihi hodie natalis dies eſt: Decet eum omnes vos concelebrare.

Idem in pſeud.

Tibi hoc præcipio, ut niteant ædes, habes quod facias
Propera intro abi: Tu eſto Lectiſterniator.

Juvenalis Sat. 14. verſu 59.

Hoſpite

Hoſpite venturo ceſſabit nemo tuorum
Verre pavimentum, nitidas oſtende columnas,
Arida cum tota deſcendat aranea tela:
Hic lavet argentum, vaſa aſpera tergeat alter.

Plautus in Aſinaria.

Juſſin Sceleſte ab janua hoc ſtercus auferri
Juſſine columnis dejicier operas aranearum?
Juſſine in ſplendorem dari bullas has foribus noſtris.

Ejuſdem lectiſterniatoris, ſive mediaſtini munus erat aulæis & velis triclinum inſternere, quæ pulverem exciperent, ne dapes inquinaret, & ſic edentium palato redderet ingratas. Horat. lib. II. Sat. 8.

Interea ſuſpenſa graves aulæa ruinas
In patinam fecere, trahentia pulveris atri
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.

V. Laurent. de Conviviis Cap. 1.

Errant

Errant igitur hic ii, qui à ſternendo lecto *ſtructorem* ſervum eundem eſſe putant cum Lectiſterniatore, longe enim aliud ejus erat officium; non tamen nego, ſed facile concedo, fuiſſe eum inter miniſtros tricliniares, erat enim illi *cura penum inſtruendi*, ut cum Virgilio loquar. Ejuſdem ſtructoris ſervi munus indicat Seneca Lib. 6, Ep. 47. ad Lucilium, cum ita loquitur. *Alius pretioſas aves ſcindit, & per pectus & clunes certis ductibus circumferens cruditam manum, & in fruſta excutit.* Et Idem Lib. de Brev. Vitæ. *Quanta arte ſcindantur aves in fruſta non enormia.* Plenius ſtructoris officium narrat Juvenalis, Sat. 5.

Structorem interea (ne qua indignatio deſit)
Saltantem ſpectas, & Chironomunta volanti
Cultello, donec peragat dictata magiſtri
Omnia: nec minime ſane diſcrimine refert

Quo

Quo geſtu lepores & quo gallina ſecetur.

Carptim dicam, antequam hoc abſolvam, ſtructoris officium fuiſſe, componere & ſervare fercula. Ut plenius oſtendunt Pignorius & Popma in ſuis de ſervis & eorum operis libris ſpecialibus.

CAP. XVII.

De Lectis penſilibus.

HAbuerunt & priſci *lectos penſiles*, dictos ex eo *quod pependerint:* Pendebant autem procul dubio ideo, ut eo commodius ii qui illis veherentur, cubarent. Excogitavit eos Aſclepiades, Pruſa oriundus, & celebris tempore Pompeji Magni Medicus. V. Plin Lib. 26. ℣ſ. 3. ob duas rationes, tum ut blando eorum jactatu ſomnum alliceret, tum etiam ut morbos extenuaret: Quem deinde ſecuti multi alii, ſic Antyllus, Ætius, atque Cælius,

Cælius, etiamſi nihil aliud deficeret, pro multis affectionibus debellandis, lectis penſilibus infirmos exerceri voluerunt, quin imo, hanc geſtationem tam ante cibum quam à cibo conducere, dixit Antyllus. Non diſſimilis à lectulis penſilibus erat olim & alia lecto facta geſtationis ſpecies, quam inveniſſe Celſum volunt Medici, ut nempe, quando deficiunt cætera geſtationi propria inſtrumenta, uni pedi lecti funiculum ſubjicerent, atque ita lectum manu huc & illuc impellerent. Quod etiam innuere voluiſſe videtur Amigdenus Ætius, ſcribens: *duas eſſe lecti geſtationes, aut penſilis, aut fulcra mobilia juxta angulares pedes habentis.* Eſtque forſan idem geſtationis genus, quod ab Avicenna *Lib.* 1. *Fen.* 3. *Doct.* 2. *l.* 2. ſub cunarum revolutione deſcriptum eſt. Si itaque talis geſtatio modice & ſuaviter fieret, præter ſomni jucunditatem quam affert, flatus quoque diſſol-

diſſolvit, reliquiis, morborum capitis, veluti ſtupori & oblivioni prorſus extinguendis, conducit, appetitum movet, & naturam ſopitam exſuſcitat, ut tradunt Medici prædicti.

Mercurialis de Arte Gymn. 3. 12. hos lectos deſcribit fuiſſe parvos, modo ex lignis, modo ex ære, modo ex argento conſtructos, qui quatuor angulis, funibus ad cubilium laquearia alligabantur, ita ut à terra ſublati aliquantulum, quaſi in aëre pendere viderentur. Loquitur itaque Mercurialis quidem de lecto penſili, laquearibus tamen cubilis alligato, ut adeo deprehendam duas ſpecies lectorum penſilium, unam *penſilem*, ſed ut dixi, *fixam*, alteram *penſilem & qua geſtabantur homines, non vero ſimpliciter movebantur*. De priori agit d. l. Mercurialis. De poſteriori Herodotus, qui dicit *geſtationem in illo (lecto) tamdiu faciendam eſſe, quamdiu quiſpiam*

piam in ſella geſtatus quadraginta ſtadiorum iter conficiebat. Determinat igitur ſpatium geſtationi neceſſarium, hoc autem non potuiſſe definiri, ob varias ac diverſas ægrotantium affectiones, quibus non eadem convenire poſſe, dictat naturalis ratio, & volunt plerique Medici. Meminit expreſſe lecti quoque penſilis ſive pendentis Cælius Aurelianus Lib. 5. *Adhibenda geſtatio primo ex lectulo pendenti, tum etiam fertoria ſella.* Et Inſcriptio quædam quam exhibet Mercurialis d. l. & Tomaſ. de Donar. IX.

D. M.
L. ÆMILI. VICTORI. QUI. PRIDIE. NATALEM. SUUM.
VICESIMUM. ET. SECUNDUM. PRUNA. IN. PENSILI.
POSITA. URGENTE. FATO. SANUM. IPSE. NECAVIT.
SE. L. ÆMILIUS. VICTOR. PRINCIPALIS. ET AELIA. VENERIA. FILIO PIENTISSIMO.
ET. SIBI.

Quia

Quia autem (ut dixi) movebantur hi lecti aliquando & *mobiles* dictos credo. Sic apud Sidonium Ep. 2. verſ. 12. *Miſiſti lectum mobilem &c.* Quoniam modo aliquid cepi dicere, de lectis ægrotantium, addere fas duxi, aliquando ſolitos fuiſſe in tectis temperato calore recreari, & jucunda mollique aura refici ægrotos, nam in locis calidis, quia noctu mitis Zephyrus ſuaviter flat, lectos ſub dio ad auram captandam conſtituebant. V. Dietericus in Antiq. Bibl. pag. 280.

CAP. XVIII.

De Lectis Igneis.

ERat & *Lectus Igneus*, qui ſecundum Doctiſſimum Hofmannum tormenti fuit genus à Decio excogitatum, in quo dentes vel aculei ſerrati, & ſal ſubſtratum fuit, deſuper arvina fluxit. V. Prudent. περι Στεφ. Hymn. IV. ℣ſ. 98.

98. Dicebatur & *grabbatus.* Sic Idem in Martyrio Vincentii Hymn. 2. ℣ſ. 205.

Tum deinde cunctatus diu
Decernit extrema omnium
Igni, grabato, & laminis
Exerceatur quæſtio.

Alibi Iterum *Cataſtam* Idem vocat, ut in Martyrio Laurentii Hymn. 3. verſ. 399. Iſidorus in Gloſſ. *Cataſta, aculeum, genus pœnæ.* Dicit Hofmannus, *tormenti fuiſſe genus*, concedo, quod autem de dentibus dicit, nego uſque dum hoc invenero, ſane eorum mentionem non facit, qui alias ex profeſſo de Cruciatibus Martyrum ſcripſit Gallonius, neque ſal ſubſtratum fuiſſe indicat, neque arvinam deſuper fluxiſſe. Saltem contrarium ejus quod dicit Hofmannus de dentibus aperte evincit Figura hujus lecti apud Gallonium de Cruciat. Mart. p. 334. quam ex dicto opuſculo Gallonii hic exhibeo. In illa enim non conſpiciuntur dentes.

Habuit



Habuit Lectus ille *Igneus* ſive mavis ferreus, quia (ut mox dicam,) è ferro erat confectus, veri ſtrati inſtar, fuitque longus, & paululum elevatus è terra, ad ſubdendum ignem, erantque nonnulla ferri fruſta ſive laminæ per obliquum ductæ, tabularum loco, paululum inter ſe diſtantes, ſuper quibus poſiti & manibus pedibuſque catenati aſſabantur cremabanturque Martyres, quam miſerabilem, meminiſci horret; ſubiere mortem, Eleutherius, Clemens Ancyranus, Plato, Zenobii fratres, aliique, quorum nomina videbis apud Gallonium de Cruciatibus Martyrum Pag. 324.

De Lecto ferreo nihil amplius addidiſſem, niſi viderem propter aliquam, quæ eſt inter *lectum igneum* & *crateram* ſimilitudinem, *crateram* interdum ſumi pro *lecto ferreo*, quæ tamen inter ſe ſunt diverſa, quod ut clarius pateat, cratera qualis fuerit, breviter dicam, ut collata de-

ſcriptione crateræ cum illa quam de lecto ferreo dedi, diverſitas conſpici poſſit, dicoque crateram fuiſſe fabricatam tali modo: Aliquæ ferreæ coſtæ, per longum ad palmum inter ſe diſtabant, quæ habebant craſſitudinem unius digiti, latitudinem duorum, & longitutidinem congruentem, ſeptem vel plura fruſta ferrea per obliquum erant poſita, & à ſe ipſis palmi medietate disjuncta, quorum aliqua rotunda erant, aliqua quadrata, illa nempe duo, quæ coſtis per longum ductis, ad craticulam conſtruendam firmandamque conjungebantur. Plura de cratera ſcire qui cupit, inſpiciat Gallonium in dicto tractatu Pag. 317. Qui figuram ejus etiam exhibet. Differentiam lecti ferrei & craticulæ verbo quoque tangit Joſephus Laurentius de Tormentis Cap. 7. In Theſ. Ant. Græc. Celeberrimi Gronovii, Tom. 6. Pag. 3200.

CAP. XIX.

De Lectis funebribus.

QUemadmodum *mors ultima linea rerum* dicitur Horatio, ſic merito de lecto funebri gimus ultimo quoque loco: is præerquam quod à funere ita dicatur, udit Barthio Adv. XXIII. 17. *Letus Libitinæ*, quod probat verbis ex Aſconii Pædiani prolegomenis in Milonianam prolatis. Verum Peronio. cap. 38. in fine *Extremus tous, fultuſque*, ait, *cervicalibus mulis extendit ſe ſupra torum extremum: & fingite, inquit, me mortuum eſſe.* Quo eodem auctore docemur *vitaem lectum* aliquando efferendis fueribus adhibitum. Dicitur autem le *lectus vitalis*, quo in vita fueant uſi, tamen bene elatus eſt, ſunt verba Petronii) vitali lecto ſtragulis bonis: Ita Lucret. 1. 05.

 Mul-

Multaque vivendo, vitalia vivere ſecla.

Ubi ſeclum vitale eſt, quo quis vivit: Ut autem conſtet lectis ejuſmodi vitalibus elatos veteres, apponam veterem inſcriptionem, à Briſſonio de Form. VII. pag. 672. prolatam.

MORTUUM. ME. QUOQUE. FUNERARI. JUSSI. REBUS. LUGUBRIS. QUIBUS. VIVOS. PARAVI. LECTO. STRAGULIS. FORENSIS. PÆNULA. INTEGRIS. OMNIBUS. &c.

Niſi quis interpretari maluerit, lectum illum à vivo elationi ſolummodo paratum, deſtinatumque.

Dixi quod lectus funebris dicebatur *lectus Libitinæ*, aliquando tamen uno nomine & *Libitinam* appellatum vult Meurſius de Fun. Cap. 20. idque probat ex hiſce Horatii Lib. 3. Ode 3.

Non omnis moriar, multaque pars mei

Vita-

Vitabit Libitinam.

Ad quæ ita Acron. *Libitina lectus eſt in quo mortui efferebantur.* Martialis Lib. 8. Epig. 43.

Victores committe venus, quos iſte manebit.
Exitus, una duos ut libitina ferat.


Quintiliani declam. 6. *Inanis Domi libitina plangitur.* Errare autem hic Acronem vult Meurſius; mavultque intelligi ibi debere feretrum, cui impoſitus lectus. Aſt quantum ad me attinet, ego cum Barthio d. l. malo dicere *Lectus Libitinæ.* Uti optime, meo judicio, ex Cicerone d. l. probat.

Hi erant aliquando *eburnei.* Propert. lib. II. Eleg. x. Aliquando *aurati*; quod. L. L. XII. vetuerunt. Sed velamen aureum feretro obtenbatur. D. Hieron. Epiſt. XXVIII. ad Paulam. V. *Guth. de Jur. Man. lib.* 1. *cap.* 23. Habebant etiam interdum *pedes* eburneos. Propert. Lib. 2. Eleg. 13.

Nec mihi tunc fulcro ſternatur lectu[m]
eburno.
Nec ſit in Attalico mors mea nix[a]
toro.

V. Bulleng. de Conv. Cap. 30. E[-]rant & lecti gemmei aureive. Si[c] de Herodis ſepeliendi lecto, inqui[t] Joſephus Lib. 1. de B. J. in fine: *Lectus quidem totus erat gemmis auro[-]que diſtinctus, torus autem* (ſive ve[-]ſtis ſtragula aut culcitra, qua lectus ſolet inſterni) *purpura variatus* &c.

Cum autem ad rogos deferebant mortuorum lectos, ſolebant eos contegere linteis bene longis. Hinc Sulpitius Severus in vita Martini Cap. 9. *Accidit autem inſequenti tempore, dum iter ageret, ut gentilis cujuſdam corpus, quod ad ſepulchrum cum ſuperſtitioſo funere deferebatur, obviam haberet, conſpicatuſque eminus venientium turbam, quidnam id eſſet ignarus, paululum ſtetit: nam fere quingentorum paſſuum intervallum e[-]rat, ut difficile fuerit dignoſcere quid vide-*


D M
CLAVD. VICTORI
EQ. SING. DN. VIX.
ANN. XXVII. MIL. AN
VII. M. AVR. VRSINVS.
CA. HERES. AMICO.
B. M. P.

ag: 151.





videret. Tamen quia ruſticam manum cerneret, & agente vento linteamina corpori ſuperjecta volitare, profanos ſacrificiorum ritus agi credidit. V. Barthius *Adverſ. Lib.* 2. *cap.* 2.

Lectus funebris, in quo comburendum compoſitum erat cadaver, ut facilius flammam conciperet, combuſtibili plane fartus erat materia, qualis eſt papyrus, ſcirpus, eique ſimilis. *Salmaſ. Exerc. Plin. pag.* 848. Notandum quoque eſt eodem lecto, quo efferebantur, concremata olim cadavera. Ramir. ad *Martial.* III. *Ep.* 93. Formam lecti funebris ſi quis videre aveat, ecce eam ex lapide veteri apud Spon. in Miſc. Erud. Ant. Sect. 1. pag. 7. Licetum de reconditis antiquorum lucernis pag. 600. Et Auguſtinum in Gemmis & Sculpturis antiquis Tom. 2. pag. 51.

Lectus hic funebris, quemadmodum & corpus defuncti, & buſtum & tumulus, aſpergebatur ſuaveo-

lentibus floribus & corollis, herbiſque odoratis, unguentis aliiſque donis: forſan eam ob rationem, vel ut in memoriam ſibi revocarent ævi hujus brevitatem, & *quæ ſpectatiſſime floreant celerrime marceſcere*, (ut Pliniana verba mea faciam) lib. 21. cap. 1. ſive ut defunctis animabus honorem habitum irent. Nam has ἄνθεων βολὰς receptas in eos, quos honore volebant affectos, quoſque benevolentia proſequebantur, maximus *Lipſius ad* 16. *Ann. Taciti* jam olim annotavit ex Livio, Capitolino, Herodiano & Virgilio, quibus & hoc non inconcinne additur, quod in funere Scipionis factum tradit Plin. Lib. 21. Cap. 3. *Aſſes ergo contulit populus, ac funus locavit, quaque præferebantur, flores è proſpectu omni ſparſit.* Huc ſpectat Plin. lib. 10. cap. 43. *Funus innumeris aliti celebratum exſequiis conſtratum lectum ſuper Æthiopum duorum humeros præcedente tibicine, & coronis omnium gene-*

generum, ad rogum uſque, qui conſtructus dextra viæ Appiæ ad ſecundum lapidem, in campo Rediculi appellato, fuit. Et Dioniſ. Halic. lib. XI. de funere filiæ Virginii. Ἐξεπήδων γὰρ ἐκ τῶν οἰκιῶν γυναῖκές τε καὶ πάρθενοι τὸ πάθος ἀποδυρόμεναι, αἱ μὲν ἄνθη καὶ ςεφάνες βάλλεσαι κατὰ τῆς κλίνης· αἱ δὲ τελαμῶνας ἢ μίτρας, αἱ δὲ ἀθύρματα κόμης παρθενικὰ, καὶ πȣ τινὲς δὲ πλοκάμων ἀποκειράμεναι βοςρύχους; ἄνδρές τε συχνοὶ λαμβάνοντες ἐκ τῶν πλησίον ἐργασηρίων, τὰ μὲν ὠνῇ, τὰ δὲ χαρίτι, συνεπεκόσμȣν τοῖς προσφόροις δώρημασι τὴν ἐκκομιδήν. Hoc eſt, *Quare ædibus exiliebant & mulieres & virgines, caſum illum lugentes, atque aliæ flores & coronas in lectum jaciebant, aliæ faſcias aut zonas, aliæ vittas virginalis comæ, nonnullæ etiam detonſos crinium tortorum concinnos: & multi viri ex proximis officinis capientes alia pretio perſoluto, alia gratis funus, quod efferebatur, donis convenientibus ſimul ornabant.* Vid. Kirchmann. de *Fun. Rom.* I.

cap. XI. Quenſtedt. *de ſepult. Vet. pag.* 89. Moreſtell. *de pompa Ferali: lib.* 2. *Cap.* VI. Saubertus *de Sacrificiis Cap.* 24. *pag.* (*m*) 546. & Dn. Nicolai *in Phylobolia. Cap.* 15.

In Principum funeribus non tantum gentilitiæ ſed & aliorum magnorum & virtute præſtantium virorum imagines, prælatæ, ad majorem oſtentationem, & augendum lectorum numerum; ſingula enim imago proprio gaudebat lecto; quin imo non tantum illæ imagines, ſed & coronæ, aliaque magiſtratus inſignia, quæ pompæ amplitudinem commendarent, lectulis hiſce ferebantur teſte *Guther. de Jur. Man.* 1. 23. Imagines funeribus nobilium adhibitas teſtis eſt Porphyrio ad illud Horatii: *Funus atque imagines ducunt Triumphales.* Ubi ita ait: interpres. *In funere nobiliſſimis quibuſque ſolebant præferri imagines majorum, quod obſervari videmus in funeribus principum.* Crebra hujus ritus mentio

mentio eſt apud auctores. Cicero 2. Orat. *Brute quid ſedes? quid illam anum patri nunciare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? quid majoribus tuis?* Val. Max. Lib. 8. cap. 15. *Africanus imaginem in cella Jovis Opt. Max. poſitam habet, quæ quotieſcunque funus aliquod Corneliæ genti celebrandum eſt, inde petitur.* Deteſtatur hanc pompam Propertius.

Nec mea tunc longa ſpatietur imagine pompa.

Ne quem autem lateat quid per *imagines* h. l. ſit intelligendum, addo, imagines has nihil aliud fuiſſe, quam expreſſas corporum effigies, humerorum tenus è cera, conſolationis ergo aſſervatas, quas in atriis cuſtodire ſoliti erant nobiles Romani, ut demortuorum aliquando memoriam venerarentur, quam rationem elegantiſſime tradit Lactantius de Falſa Relig. Cap. 2. *Omnium fingendarum ſimilitudinem ratio idcirco*

ab omnibus inventa eſt, ut poſſit eorum memoria teneri, qui vel morte ſubſtracti, vel abſentia fuerunt ſeparati.

In atriis illis ordine in ligneis quibuſdam thecis vel armariis, unde exſequiarum tempore depromebantur, collocabantur, ut conſtat ex Plin. Lib. 35. cap. 2. *Ex cera vultus ſingulis diſponebant armariis, ut eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera: ſemperque defuncto aliquo totus aderat familiæ, qui unquam fuerat populus.*

Quod ſi tamen quis turpi & immani crimine damnatus eſſet, ejus imaginem damnari & frangi ſolitam, nec in exſequiis ferri docet notabile exemplum Caſſii & Bruti, quod extat apud Tacit. lib. 3. Ann. 76. *Viginti clariſſimarum familiarum imagines antelatæ ſunt, Manlii, Quintii, aliaque ejus nobilitatis nominia: ſed præfulgebant Caſſius & Brutus hoc ipſo, quod effigies eorum non viſebantur.* Huc ſpectat & illud Juvenalis Sat. 8.

Fran-

Frangenda miſeram funeſtat imagine gentem.

Licet in eo conveniant docti, impoſitas lectis imagines, contraria tamen ductus opinione Guthardus putavit potius affixas. Nobis videtur ex hoc originem ſumere morem hodiernum, quo in nobilium funeribus, inſignia ſtemmatis vel appendi ſolent vel præferri. Annectuntur ea panno nigro, quem antiqui album & longum atque prolixum conſueverant adhibere. *Barth. Adv.* 11. 2.

Reſtat denique ut de forma & modo elationis deſpiciamus, de quo maxime notandum eſt, præter ipſum lectum, quo mortuus portabatur, plurimos ſæpe alios lectos ſimul eſſe elatos, & quidem antelatos lecto funebri, pluribuſque ejuſmodi lectis efferri glorioſum erat, teſte Servio. V. Moreſt. in Pomp. Fer. 2. 7. Roſin. Ant Rom. 8. 6. Sic auctore eodem Servio *in*

funere Marcelli Auguſtus ſexcentos lectos præferri juſſit. Tacitus quoque lib. 3. Ann. 76. tradit *lectum Juniæ viginti clariſſimarum familiarum imagines antelatas.* Et *Sylla ſex millia habuit.* Reſtringitur hæc copia apud Tac. lib. A. 16. 31. *Largitur in ſervos quantum aderat pecuniæ, & ſi qui aſportari poſſent, ſibi quemque deducere, tres modo lectulos ad ſuprema retineri jubet.* Inde in Lege 12. tabularum cautum erat : *Ne plures lecti efferrentur.* Vel uti plenius extat apud Ciceronem de Legibus 2. PLUSA FONERA UNEI NEI FACITO NEIVE PLUSSIS LECTOS ENDOFERTO, ad minuendos ſcilicet ſumptus & mortuis & vivis inutiles. Sed quæret fortaſſe quiſpiam, cui uſui hi lecti vacui? ut paternæ maternæque gentis imagines (quas omni ſtudio aſſervare religio veteribus erat) in iis collocarentur. Quanquam interdum non in hujuſmodi

modi lectis, ſed in oblongis perticis vel haſtis fuiſſe latas non inepte quis exiſtimaverit, auctore nobis Silio Italico, qui lib. 10. de Funere Pauli, ſic ait:

Non conjux native aderant, non
juncta propinquo
Sanguine turba virum: aut celſis de
more feretris
Præcedens priſca exſequias decorabat
imago.

Si tamen feretum generaliter ſumamus, æque lectos aliave fercula intelligere poſſumus. Vid. Kirchm. de *Fun. Rom.* 2. 7. Quenſtedt. *de ſepult. Vet. pag.* 120. Caſal. *de Rit. Sac. & Prof. parte* 1. *cap.* 26. *pag.* mihi 146.

Dictum ſupra *buſta aliquando etiam coronis fuiſſe exornata*, id tamen poſtea reſtrictum videtur prohibitumque LL. 12. Tabb. UTINE SUMPTUOSA RESPERSIO FIERET, NEVE MURRATA POTIO MORTUO INDERE-

DERETUR : NEVE LONGÆ CORONÆ, NEVE ACERRÆ ADHIBERENTUR. Ubi per *longas coronas* Rævardus recte intelligit eas, quibus buſta, ſepulchra, ſellæ Curules, theatra, & currus Triumphales exornari conſueverant. Ut autem ſimul ſciatur, quid per *Murratam potionem* hic intelligere oporteat, notandum, ſolennem veterum fuiſſe morem, ut cadaver quod jacebat in lecto, & rogum, precioſis ſuperfunderent liquoribus, & inter hos vino etiam murrato. Murratum igitur vinum tanquam ſumptuoſum decemviri prohibent: Cætero vino adſperſionem fieri non vetant. Unde Virgilius.

Poſtquam collapſi cineres & flamma quievit,
Relliquias vino, & bibulam lavere favillam.

Per *Acerram* in d. L. 12. Tabb. verbis quid intelligatur explicat Feſtus,

qui

qui Acerram definit *aram, quæ ante mortuum poni ſolebat, in qua odores incendebantur*, ut ita vetet lex, aras quæ proxime ſepulchra fierent cum thure incenſiſque odoribus obiri, cum autem acerra hæc incenderetur, defuncti cognatæ lugentes domi riciniis amictæ circumſtabant lectum mortui, cujus funus erant ſecuti. Quod pluribus deductum vide apud Guther. *de Jur. Mar. Lib.* 1. *cap.* 16.

Præcedebant lectum Domini, ſervi ab eo manumiſſi, illi præcipue, qui inſignes à domino cogniti erant, qui quanto plures erant tanto plus nominis laudiſque dedere defuncto, quod familiam totam decedens dominus tantis muneribus cumulaſſet: præcedebant etiam Orcini liberti, id eſt, qui teſtamento manumiſſi & libertate donati, & quidem *pileati*, aut alba lana capitibus velatis, ut obſervat Alex ab Alex. *Gen. dier. Lib.* 3. *cap.* 7.

Lectu-

Lectuli hi funebres lentiſſime procedebant (uti hodie adhuc duci funera videmus) ad oſtendendum quantopere animi eorum qui funus ſequuntur deliqueſcant, & corpora ſint labefactata. De tardo hoc in funeribus gradu agit Propertius Lib. 4.

Si piguit portas ultra procedere, at illud
Juſſiſſes, lectum lentius ire meum.

Sunt qui putant in lecto funebri in quo funus erat, ſtetiſſe ſervos, qui cadaver Domini ventilabant, idque firmant ex *L. Unic.* §. *ſed & qui* 5. *C. de Lat. Lib. Toll. Sed & qui Domini funus pileati antecedunt, vel in ipſo lectulo ſtantes cadaver ventilare videntur: ſi hoc ex voluntate fiat, vel teſtatoris, vel hæredis: fiant illico cives Romani.*

Nihilominus quamvis expreſſe id ibidem dicatur, ego potius crediderim ad lectum ſtantes id peregiſſe, viventem enim in eodem ſtetiſſe lecto,

cto, in quo cadaver jacebat minus veroſimile mihi videtur. Sic & ad hominum potentiorum qui è vita exceſſerant, cereas effigies, ſervi adſtabant cum flabellis pavoninis, qui velut ſomnum capientibus ventulum faciebant. Quod ut clarius oſtendam, produco auctoritatem Xiphilini, qui hæc de Pertinacis exſequiis, à Severo Imperatore exſtructis è Dione annotavit: *Inſtructum erat in foro Romano tribunal ligneum, pone tribunal lapideum, ſupra fuit ædificium, quod columnæ undique ſuſtinebant, eratque ebore vario ornatum & auro, eo allatus fuerat lectus conſimilis, cui ſtragulis purpureis atque auro intextis ornato, erant circum capita belluarum terræ mariſque, in eoque poſita erat ſtatua Pertinacis cerea, ornatu triumphali, à qua puer egregia forma, ita ut ſi dormiret Pertinax, pavoninis pennis muſcas abigebat.*

Præcedebant lectum funebrem primo *Siticines*, ſic dicti, quod apud

pud *Sitos*, hoc eſt Sepulchro conditos (vel potius condendos) canerent, ut annotavit A. Gellius Noctium Atticarum eruditiſſimus & puriſſimus Scriptor Lib 20. cap. 11. *Cum cantu enim mortuos ad Sepulturam proſequi oportere, plurimarum gentium vel regionum inſtituta ſanxerunt.* Ut eſt apud Macrobium Lib. 2. Somn. Scipion. Cap. 3. Secundo adhibebantur *Præficæ*: Hæ alta voce, illi (ſiticines) inſtrumentis canebant, puta tubis, tibiiſque, quarum frequens fuit in Græcorum Romanorumque funeribus uſus, quod late probat Kirchmannus in tractatu de funeribus politiſſimo. Tibias autem ad puerorum & puellarum aut minoris ætatis funera reſtringere videntur præter Servium in 5. Æneid. Lactantius, Placidius in Lib. 6. Statii: *Jubet*, inquit, *religio, ut Majoribus mortuis tubæ, minoribus tibia caneretur.* Et Statius ipſe Lib. 6 Thebaidos.

Tibia,

Tibia, cui teneras ſuetum deducere manes.

Quibus ex recentioribus ſubſcribunt Cornelius à Lapide ad Matth. Cap. 9. & J. Druſius *Præteritorum Lib.* 1. *in Loc. præced.* ſubjicit hic cauſam: *Nam* inquit, *inſtrumentum eſt tibia, exilis, & anguſtæ vocis.* Verum id non placere video Kirchmanno de Funer. Lib. 2. cap. 5. aſſerenti: Tubas quidem funeribus duntaxat indictivis adhibitas fuiſſe: Tibias vero funeribus quibuſcunque, puta puerorum, ſenum, divitum, pauperculorum, plebejorum. Cujus *Sententiæ noſtræ*, addit, *fundus eſt, quod næniæ ad tibiam canebantur: communes autem omnibus funeribus næniæ.* Sic quoque Hier. Magius *Miſcell. Lib.* 1. *cap.* 13. tibicines quibuſcunque funeribus adhibitos olim fuiſſe cenſet promiſcue, idque probat aliquot auctoribus, quos brevitatis ergo hic omitto. V. Quenſtedt de *Sepult. Vet. Cap.* 6. De tibiis & tubis

bis ita Gutherius *de Jure Man.* 1. 2. 4. Propter lectos hos Tibicinæ incedebant cum præfica: At tubæ remotiores, quæ ſuis clangoribus Næniæ plangorem ſepeliſſent. Quicquid ſit & tibias & tubas adfuiſſe ex ſequiis exploratiſſimum eſt. Vid. & Meurſ. de Funere. Cap. 18.

Dixi lectum quid præceſſerit, dicendum quoque quid eum ſequebatur. Poſt lectum ferebantur in lancibus thura, aliaque aromata, comburenda cum mortuo: Unde propertius Lib. 2.

Nec mihi tum fulcro ſternatur lectus eburno,
Nec ſit in Attalico mors mea nixa thoro,
Deſit odoriferis ordo mihi lancibus: adſint
Plebeji parvæ funeris exequiæ.

Quæ lances magno erant numero. Inde illa Statii Sylv. Lib. 5. de Priſcillæ funere.

—— —— *quis carmine Digno*
Exe-

Exequias & dona malæ feralia pom-
pæ
Perlegat? omne illic ſtipatum exami-
ne longo
Ver Arabum, Cilicumque fluit, flo-
reſque Sabæi,
Indorumque arſura ſeges, prærepta-
que templis
Thura.

V. Meurſ. de Fun. Cap. 21.

Atque ita hac pompa cadaver in lecto ferebatur in forum ad roſtra, ut ibi oratio haberetur in laudem defuncti, quod firmant innumera auctorum loca, quæ, ut ad finem properem, prætereo: Dum vero hæc laudatio peragebatur, lectos deponebant ſub ædiculis, quas ligneas fuiſſe docet nos Polybius Lib. 6. & ex eo Meurſ. d. Cap. 22.

Atque hæc de lectis hac vice ſufficiant, quibus cum admodum ſit affinis materia de *Lectiſterniis*, de iis paucula quædam coronidis loco hic addere viſum fuit.

CAP.

CAP. XX.

De Lectiſterniis.

Dictum eſt Lectiſternium à *ſternendis lectis*, quod tamen nolo capias de *quibuſcunque*, ſed *illis tantum in quibus colerentur Dii.* Non tamen eo inficias lectiſternium aliquando & pro *quocunque lecto ſtrato* fuiſſe acceptum. Sic Sidonius Apollinaris Epiſt. 4. 15. *Epulum multiplex, & capaciſſima lectiſternia para.* Lectiſternium erat, cum ſacrorum faciundorum gratia, vel in dedicationibus (*V. Seldenus de Syn. Heb.* 3. 14.) lecti in templis aut ante ſtatuas Deorum ſternebantur, ad diſcumbendum in epulo publico.

Anſam lectiſternia primum uſurpandi, ſi vis, quid dederit; notandum erit, quod veteres decumbentes in Lectis epulari & comedere conſueverint, quare cum diis epulas inſtruere vellent (credebant enim cæci

cœci mortales, ſuos Deos etiam conviviis delectari) eorum ſimulacra in lectis collocabant, ut ad menſas ipſi ſolebant accumbere.

Lectiſterniorum duo erant genera: *Publica*, & *Privata*. De Publicis agit ita Livius. 5. 13. *Triſtem hyemem, ſive ex intemperie coeli raptim mutatione in contrarium facta, ſive alia qua de cauſa, gravis peſtilenſque omnibus animalibus æſtas excepit, cujus inſanabili pernicie, quando nec cauſa nec finis inveniebatur, libri Sybillini ex Senatusconſulto aditi ſunt. Duumviri ſacris faciundis, Lectiſternio tunc primum in urbe Romana facto, per dies octo Apollinem, Latonamque, & Dianam, Herculem, Mercurium, atque Neptunum, quibus, quam ampliſſime parari poterat, ſtratis lectis placavere.* Et Auguſtinus de Civ. Dei Cap. 27. *Ubi erant (nempe Dii) quando peſtilentia exorta eſt? Diis inutilibus, ſine remedio populus diu multumque fatigatus, nova lectiſternia,*

 quod

quod nunquam ante fecerat, exhibendam arbitratus eſt.

Erant & lectiſternia, *Stativa* ſive *legitima*, ſingulis annis centum in ludis ſecularibus, vel *Indicta* aut *Imperativa*. Stativum erat illud Poplicolæ apud Valerium Maximum Lib. 2. cap. 4. *Cujus*, (ſcilicet Valeſii) *exemplum Valerius Poplicola, qui primus conſul fuit, ſtudio ſuccurrendi civibus, ſecutus, apud eandem aram publice nuncupatis votis, cæſiſque atris bubus, Diti maribus, fœminis Proſerpinæ, lectiſternioque, ac ludis trinoctio factis, aram terra, ut ante fuerat, obruit.* Ex quo loco luce meridiana clarius apparet, erraſſe Ludovicum d'Orleans ad Tacit. Lib. 15. dicentem: *celebraſſe ea Poplicolam in domo privata,* De *Indictis* ſeu *Imperativis* agunt. dd. ll. Livius & Auguſtinus, indicta enim ſunt *ad peſtem ſedandam*, ut ex eorum verbis apparet. Sic & propter alias cauſas lectiſternia imperata legimus, ut apud

[a]pud eundem Livium Lib. 7. *peſti-entiæ ſedandæ & Pacis Deûm expo-[ſ]cendæ* indictum refert. Et *Prodi-[g]iorum procurandorum cauſa.* Idem [L]ib. 22.

Primam Lectiſterniorum origi-[n]em quod attinet, A Livio 1. 13. [a]tque Auguſtino de C. D. 3. 27. [e]am annotari, multi exiſtimant, [i]nter quos noviſſimus fere eſt Cele-[b]errimus p. m. Lomeierus, in do-[c]to opere de Luſtrat. Gentil. Cap. [3]5. propter verba occurrentia apud [L]ivium *Lectiſternio tum primum in* [u]*rbe Romana facto*, apud Auguſti-[n]um *nova lectiſternia, quod nunquam* [a]*nte fecerat, exhibenda arbitratus eſt*. [Q]uomodo vero in hæc tempora pri-[m]am originem retulerint Livius & [A]uguſtinus, non ſatis compertum [e]ſt, quia difficultatem facit Chro-[n]ologia ludorum ſecularium, ne in [il]lud tempus, de quo Livius & Au-[g]uſtinus, referri poſſit Lectiſter-[n]iorum origo. Certum enim eſt,

diu ante illud tempus ludos ſecula-
res primos inſtitutos eſſe, in quibus
etiam lectiſternia celebrata refert
Val. Max. d. l. 2. cap. 4. Imo Lecti-
ſternia ante primos ludos ſeculares
in uſu fuerunt, apud Græcos enim
& uſitata fuiſſe, optime olim, &
quantum ſcio, primus obſervavit,
Iſaacus Caſaubonus ad Suet. Lib. 1.
cap. 76. ex Pauſaniæ Arcadicis &
Phocicis, ubi & Minervæ & Æſcu-
lapio in templis ſuis κλίνη tribuitur;
atque ex Pindari Scholiaſte ad O-
lymp. Ode 1. Athenæo & Valerio
Maximo Lib. 2. cap. 10. qui de At-
tico & Rhodio pulvinarium Sacro-
rum uſu, ut ſatis apud Græcos ve-
teres obvio, expreſſius loquuntur.
V. Seldenus *de Syned. Vet. Ebræor.*
Lib. 2. cap. 14.

Livium igitur & Auguſtinum
male ad illa tempora retuliſſe ori-
ginem Lectiſterniorum liquido ut
puto probavi, eoſque intelligendos
autumo, non de prima lectiſternio-
rum

rum origine, quæ longe antiquior, ſed de origine Lectiſternia indicendi, ut adeo illi ibidem agant de Lectiſternio (ut dixi) indicto, cum illud Poplicolæ apud Val. Max. fuerit ſtativum, quod notaſſe quoque video Doctiſſimum Petrum Taſtinum *de Anno Secul. & Lud. Sec. Cap.* 11.

Iterum lectiſternia duorum generum facit Gutherius de *Vet. Jur. Pont. Lib.* 3. *cap.* 9. ex Servio ad Virgilium 3. Georg. & 12. Æneid. unum in quo homines in templo ſedere conſueverant, alterum ad Deorum epulum, de poſteriori intellige Arnobium Lib. 7. *Lectiſternium*, ait, *Cereris erit Idibus proximis. Habent enim dii lectos, atque ut ſtratis poſſint mollioribus incubare, pulvinorum tollitur atque excitatur impreſſio.* Indeque *pulvinar* pro lectiſternio aliquando ſumitur, uti apud Horatium Lib. 1. Ode 37.

—— —— *nunc ſaliaribus*

Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus ſodales.

Et Ciceronem orat: pro domo ſua *Aram & Ædiculam, & pulvinar ſu* *ſaxo ſacro dedicavit.* Et Lectuli qu ſternebantur in templis, ſuperve nientibus *Pulvinaria* dicebantur, te ſte Servio ad *Virg.* 3. *Georg.* Dice bantur & *pulvinaria*, aut *lecti Deo rum aut Tabulata, in quibus ſtaban Numina, ut eminentiora viderentur* Ut notat Acron. ad Horat. *d. Lib.* 1 *Ode* 37. Cic. in Catil. 3. *Numini ſu æde excepto pulvinar aſſignatum eſt, velut lectus in quo diſcumberet, au tabulatum ſuper quod ſe commodius re poneret.* Et qui lecti vel tabulata Græci vocant τὰς κλίνας & ἕδη Θεῶν. Pro *templo* quoque ipſo *numineve* *pulvinaris* nomen uſurpatum docer Livius: *Diem unum*, ait, *ſupplica tum ad omnia pulvinaria, uti & diem alterum.* Sic & Servius ad Virg. Georg. 3. *Pulvinaria pro templis po nimus*, (fatetur abuſive) *quum ſint*

propri



Pag: 175.



proprie lectuli, qui ſterni in templis ſupervenientibus pleriſque ſolent.

Ego autem potius crediderim cum Gutherio de Vet. Jur. Pont. Lib. 3. cap. 9. Fuiſſe proprie: locum apparatum in templo in quo ea diſponerentur quæ in Sacrario vel Donario incluſa erant. Quod diebus ſolennibus facere conſueverant antiqui, in menſa, quæ ab Æditiuis vocabatur *OPUS*, talis generis erat pulvinar Octaviani ad circum maximum. Cujus forma eſt in nummis Ænobarbi.

Curato lectiſternio, talia pulvinaria in conſpectu erant Deorum, ut docet Livius L. 22. unde forſitan etiam pro lectiſternio ſumitur. Dixi ſupra quibus occaſionibus Lectiſternia facta, nunc tamen addam adhuc aliam: In templorum quoque dedicationibus fuiſſe uſitata, uti teſtatur Seldenus de *Syned. Vet. Ebraor.* 3. 14. Nam non dubitabatur quin in dedicationibus invocati illuc ſe conferrent, ſupervenirentque Dii. Unde *fana ſiſtere* notat *lectiſternia certis locis & Diis habere.* Labeo apud Feſtum in *ſiſtere fana.* Fana igitur ſiſtit, qui certa ſtatuit, ac decernit fana, ubi ſupplicationis gratia lectiſternia habeantur, ſive Diis apparentur. Dixi ſupra, lectiſternia ordinario facta, *pacandæ Deorum iræ*, ſciendum tamen eſt non omnibus indiſtincte Diis Deabuſque habita lectiſternia, tamen multis, pro cauſarum varietate. *Apollini*, *Latonæ*, *Dianæ*, *Mercurio*, *Neptu-*

Neptuno, prodit Livius Lib. 5. cap. 13. Aliis tamen præterea lectiſternium Diis fuiſſe factum auctor eſt Idem Lib. 22. *Curatum*, inquit, *lectiſternium & per triduum habitum Decemviris Sacrorum cubantibus. Sex pulvinaria in conſpectu fuere, Jovi & Junoni unum, alterum Neptuno & Minervæ, tertium Marti & Veneri; quartum Apollini & Dianæ, quintum Vulcano & Veſtæ; Sextum Mercurio & Cereri.* Lectiſternium quoque *Juventæ Deæ* imperatum prodit Livius Lib. 21. *Ideæ matri.* Lib. 29. Lectiſternium Cereris ridet Arnobius Lib. 7. Adverſus gentes. Lectiſternium *Cereris*, inquit, *erit idibus proximis: habent enim Dii lectos, atque ut poſſint ſtratis mollioribus incubare, pulvillorum tollitur atque excitatur impreſſio.* Aliorum inſuper Deorum in templis habita lectiſternia monet iterum Livius Lib. 35. *Patres priuſquam de Provinciis agerent, res divinas facere majoribus hoſtiis juſſerunt,*

 in

in omnibus fanis, in quibus lectiſternium majori parte anni fieri ſolet.

Obſervandum hic eſt, Deas cum diis in eodem lecto non fuiſſe collocatas, ut male meo quidem judicio, ex Gellii quodam loco, miro à ſe torto, probare contendit Ludovicus d'Orleans in novis cogitationibus ad Tacit. Ann. Lib. 15. turpe enim id habebatur apud antiquos, ſed in ſellis Diis accumbentibus aſſidebant Deæ, uti clariſſime refert Valerius Maximus Lib. 2. cap. 1. *Fœminæ cum viris cubantibus ſedentes cœnitabant, quæ conſuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit, nam Jovis epulo ipſe in lectulum, Juno & Minerva in ſellis ad cœnam invitantur. Quod genus ſeveritatis ætas noſtra diligentius in Capitolio, quam in domibus ſuis ſervat, videlicet quia magis ad rem pertinet Dearum quam mulierum diſciplina.* V. Doctiſſimus Petrus Taffinus de Anno ſeculari Cap. 11.

Cele-

Celebrabantur plerumque lectiſternia in templis Deorum, aliquando tamen & aliis in locis, ut vicis, foris. Ad morem ſternendi lectiſternia in *vicis* alludit Tertullianus in Apolog. eaque damnat Cap. 35. *Grande*, ait, *videlicet officium, & focos & thoros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu oboleſcere.* Straviſſe & lectiſternia in foris publicis teſtatur Livius Lib. 40. *Terra movit in foris publicis, ubi lectiſternium erat, Deorum capita quæ in lectis erant, averterunt ſe.* V. & Joſephus de Bello Jud. Lib. 7. cap. 22. Dixi quod celebrabantur in templis Deorum, non tamen in templo Herculis, ſed forte quidem Herculi, alio ſcilicet loco, uti tradit Servius ad Virgil. Æneid. 7. ℣. 176. Cauſam illius reddit vetus Horatii interpres ad 1. Ode 37. quod, ſcilicet, quieti nunquam erat aſſuetus. V. Borrichius in *Ant. Urb. Rom. Tac. Cap.* 13. Et Fabric. *in*

Deſc. Urb. Rom. Cap. 19.

In lectiſterniis aſſidere ſolitos veteres, quemadmodum in captandis auguriis, in Deorum adoratione, votis faciundis, aliiſque ritibus ſacris ac cæremoniis, vult Falconerius in diſſert. de Pyram. C. Ceſtii Epulonis. Statuas tamen ac ſimulachra Numinum in lectiſterniis reclinaſſe monet Chimentell. de Hon. Biſel. Cap. 31.

De apparatu quoque lectiſterniorum paucis acturus monendum exiſtimavi: Quod in iis Diis offerebantur *liba* ſeu *placentæ*, quibus plerumque Romani, præſertim in ſacris conviviis ſeu coenis veſci erant ſoliti. Ita Bruyerinus de Re Cib. Lib. 6. cap. 7. ex Athenæo placentæ quoddam genus fuiſſe docet, quo ſolo in pervigiliis (id eſt cœnis ſacris, nam hæ ſemper pervigiliis conjunctæ erant) veteres uſi ſunt. In ſolenni ejuſmodi convivio, pari modo ut in reliquis ſacris, adhibebant:

bant & tibias & quidem longas, rationem ſi quæras, hanc do, quod hanc aurium voluptatem Diis ſuis gratam putarint. Egregie hoc illuſtrat Cenſorinus de die Natali Cap. 12. Ubi de Muſica ſermo eſt: *Nam niſi grata eſſet, inquit, immortalibus Diis, qui conſtant ex anima divina, profecto ludi ſcenici placandorum deorum cauſa inſtituti non eſſent: Nec Tibicen omnibus ſupplicationibus in ſacris ædibus adhiberetur: nec cum Tibicine triumphus ageretur, non Apollini cithara, non Muſis Tibiæ, cæteraque id genus eſſent attributa. Non Tibicinibus, per quos Numina placantur, eſſet permiſſum aut ludos publice facere, aut veſci in capitolio.* V. Bartholinus de Tibiis L. 2. c. 7.

Celebrabant aliquando lectiſternia fœminæ ſolæ, ut conſtat ex Tacito Ann. Lib. 15. *Mox, petita, inquit, à Diis piacula, aditique Sibyllæ libri, ex quibus ſupplicatum Vulcano, & Cereri, Proſerpinæque, ac pro-*

pitiata Juno per matronas primum in Capitolio, deinde apud proximum mare. Unde hauſta aqua templum ac ſimulacrum deæ proſperſum eſt, ac lectiſternium ac pervigilia celebravere fœminæ, quibus mariti erant. Sic & Suidas fœminarum meminit, quæ δειπνοφόροι ſunt appellatæ, id eſt, ut ipſe interpretatur αἱ φέρουσαι τοῖς κατακεκλιμένοις ἐν τῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερῷ τὰ δεῖπνα: *quæ cibum iis inferrent, qui in templo Minervæ epularentur.*

Aliquando ipſi ſternebant lectiſternia ſenatores, teſte Livio Lib. 22. *Lectiſterniumque imperatum eumque lectum ſenatores ſtraverunt.* Quod tamen ſemper ſollicite fuiſſe obſervatum rectiſſime idoneis teſtibus ſe non valere probare, monet Zamoſc. de Sen. Rom. Cap. 15. Curare vero lectiſternia proprium erat munus Epulonum, qui quales fuerint docet Feſtus *Epolonos*, ait, *dicebant antiqui, quos nos epulones dicimus: datum autem eſt his nomen, quod epu-*

les

las indicendi Jovi cæteriſque Diis poteſtatem haberent. Erant primo triumviri epulones, poſtea quinque, tandem decem, quod quomodo, lapſu temporis factum ſit, & à quo ſint aucti, altius repetere, cum proprie non ſit hujus loci, tranſeo, præſertim cum variæ hic ſint eruditorum ſententiæ, illud tamen adhuc addo, fuiſſe viros hoſce honoratos, patet ex eo quod de Plinio refert Feneſtella, eum cum orationem eſſet habiturus, & auditores futuros quaſi timeret, dixiſſe: *Stabit modo Conſularis, modo Septemvir epulonum.* Si quis forte moreretur Septemvir epulorum, initio in defunctorum locum alii à collegis ſurrogati, poſtea vero ſuffragiis populi is honor demandari cœpit. Ridet epulones Auguſtinus de Civ. Dei Lib. 6. cap. 7. Epulones etiam Deos paraſitos Jovis ad ejus menſam qui conſtituerunt, quid aliud quam mimica ſacra eſſe voluerunt, nam paraſitos

raſitos Jovis ad ejus convivium adhibitos ſi mimus dixiſſet, riſum utique quæſiſſe videretur. Noti ſunt etiam Septemviri epulones ex inſcriptionibus, V. Gruterus pag. 185. 307. & 396. De Lectiſterniis & epulonibus plura qui deſiderat, adeat Petrum Taffinum *de Anno Secul. Cap.* 11. Lætum *de ſacerdotiis Cap.* 14. Caſaub. ad *Suet.* 1. *Cap.* 76. Selden. *de Syned.* 2. 14. Jacobum Boiſſardum *Part.* 5. *Antiq. Roman. fol.* 32. Gautruche de *Relig. Ethnc. Pag.* 299. Stuck. A. C. L. 1. C. 33. Petrum Appianum *in Collectaneis Pag.* 252. Thyſ. in Not. ad *Gell. Lib.* 1. *cap.* 12. Thomaſ. de *Donar. Vet. Cap.* 4. *Roſin. Ant. Rom.* 3. 28. Kipping. *Ant. Rom. Lib.* 1. *cap.* 12. §. 8. Saubertus *de Sacrific. Cap.* 26. *pag.* (*m.*) 616. *edit. noviſſ.* Et noviſſime Celeberr. Nicolai, in *Diſquiſit. de Subſtr. & Pign. Veſt. Cap.* 2. §. 2.

DE LECTICIS VETERUM DIATRIBE.

CLARISSIMO CELEBERRIMO

VIRO

THEODORO JANSSONIO

A B

ALMELOVEEN.

S. P. D.

JOANNES ALSTORPHIUS.

Quod tibi vir Clariſſime inſcribam hanc de Lecticis diſquiſitionem Philologicam, rationes ſunt & multæ & graves, inter eas autem eminentiſſimæ ſunt duæ: Quarum altera eſt nunquam ſatis à me laudanda & admiranda comitas tua, qua me apud Vos degentem, & ſtudiis operam navantem,

exce-

*excepiſti, & ad liberalium artium Stu-
dia ſtimulaſti: Altera, egregia tu-
& candida benevolentia, quod nih-
eorum quæ de hiſce materiis binis, i-
adverſaria redegeras tua, me celaſti-
ſed lubens communicaſti, ut adeo no-
pauci floſculi ex memorialium tuoru-
horto carpti, in uſum meum tranſtuli-
rim, qui ſane opuſculum hocce quali-
cunque mirum in modum exornarun-
Hocce ergo obſequii erga te mei pignu-
& ſignum, amico quæſo vultu excip-
benignoque ſinu fove, meque ſolit-
tua benevolentia & amore proſequ-
perge.*

DIA-

DIATRIBE
DE
LECTICIS VETERUM.

CAP. I.

De Lectica, in genere.

LEctica unde nomen ferat
Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

Quidam *Lecticam* dictam volunt ex eo, *quod legebant unde eam facerent*, ſtramenta ſcilicet & herbas *Varro de Lingua Lat. lib.* 4. *pag.* 39. *& ſeqq.* pannoſve ad cubandum. *Perott. in Cornucopia pag.* 600. *num.* 50. *Et pag.* 755. *& ſeqq. num.* 60.

Aliqui deducunt a Græco vocabulo λέκτρον, quod Latinis eſt *Lectus*.

Alii hanc nominis dant rationem, quod fatigatos ad cubandum alliciat.

Mihi

Mihi tamen veriſimillima videtur ſententia Varronis aliorumque qui a Græco λέκτρον, vel Latino *Lectus* Lecticam appellatam contendunt.

Quam ſententiam etiam amplectuntur. Voſſ. *in Etymol. L. L.* Faber *in Theſ. Erud. Schol.* Becmann. *in Orig. L. L. pag. 595.* aliique.

Τὸ λέκτρον autem iterum derivatur à λέγω, cubo, quomodo & ab antiquis hanc vocem acceptam ex Euſthatio & Heſychio monet Voſſ. *in D. Etymol.* voce *Lectus*.

Lectica erat cathedra, vel ſella, qua ferebantur divites & potentes, in qua pulvinus vel lectus erat ſtratus.

Quando autem *Lecticam* definio *cathedram* vel *ſellam*, ſciendum eſt, me non intelligere cathedram vel ſellam proprie & ſtricte ſumptam, hanc enim illamque à Lecticis tum fuiſſe omnino diverſam non ignoro.

Sed miror Fabrum D. Theſ. Lecticam definientem *ſedem*, quod verbum

bum hic minime quadrare, ſellamque rectius dici poſſe exiſtimo.

Differunt enim plurimum *ſella* & *ſedes*. *Sella* integra eſt & tota fabrica, *ſedes* vero una illa tabula, cui inſident, quamque occupant, qui ſella utuntur: *Sedile* quoque appellarunt, ut adeo rectiſſime dicat Chimentellius de *Honore Biſell. Cap.* 24. „Sedile proprie ea pars quam ſede „premimus, quomodo in actis D. „Marci vocatur, quæ Henr. Vale„ſius profert ad *Euſebii Hiſt. Eccle„ſiaſticam* VII. 19. *In cujus cathedræ „ſedili* &c. Planitie ſcilicet illa li„gnea, omni exuta fulcrorum, pe„dum, ornatu aut inſtrumento. Sicut ſedile pars ſellæ, ita & ſedes, eadem enim eſt ratio utriuſque vocabuli, niſi ſedile de viliori genere Sellæ cum quibuſdam capere velis. Ut adeo qui in ſella poſcit ſedem cum alio, non ſellam aliam in ea poſcit, verum locum in quo poſſit ſedere. Et hinc explicandus Tacitus

tus Ann. *lib.* 11. *cap.* 33. *Ac ne dum in urbem vehitur, ad pœnitentiam a L. Vitellio, P. Largo Cæcina mutaretur; in eodem geſtamine ſedem poſcit, ſumitque.* Errat igitur hic Lipſius in notis, quando ait: *Apparet tamen in eodem geſtamine plures ſellas fuiſſe*, non enim plures erant *ſellæ* in eodem geſtamine, ſed *ſedes*. Ut res evadat adhuc clarior, addere fas erit hic facti occaſionem: Trepidabat tunc Claudius, de amittendo tum imperio, tum vita ſollicitus: non aliam ſpem incolumitatis affirmat Cæſari libertus, *quam ſi jus militum uno illo die in aliquem libertorum transferret; ſeque offert ſuſcepturum* (quæ ipſa ſunt Taciti verba.) Rem ſuam igitur agebat Narciſſus, utque in ea ſpe atque officio teneret Claudium, in eandem ſe condidit ſellam, præſertim in ea trepidatione, ac diſcrimine, cum licent, quæ non licent. Eo pacto tepidi Jecoris, & ſtupendæ ἀβλεψίας principem callidus libertus

pertus aſſidua hortatione lactabat, ne propoſitis abſcederet. Ac proinde, *ne dum in urbem vehitur* (Claudius) *ad pœnitentiam à L. Vitellio, P. Largo Cœcina mutaretur; in eodem geſtamine,* (Narciſſus) *ſedem poſcit, ſumitque.*

Quid autem intelligendum ſit per *Geſtamen* in D. Taciti loco, variæ ſunt eruditorum opiniones. Schefferus de *Re Veh.* 2: 4. Accipit de *vehiculo cum rotis.* Lipſius in notis ad d. l. interpretatur, *ſellam geſtatoriam.* Chimentellius de *Hon. Biſel. Cap.* 24. an de *Rheda vel vehiculo* capiendus ſit ille locus ſuſpendit judicium, & certi quid ſe non audere ſtatuere fatetur. Illud tamen facile intelligitur, quod de lectica vix poſſit capi, ea enim ferebantur homines, in hoc autem geſtamine ſedebant.

Diximus in definitione quod in lectica *lectus erat ſtratus.* Id factum in gratiam eorum, qui ea vehe-

I heban-

hebantur, ut eo commodius cubarent, vel ſederent, nemo non videt eſſe factum, quemadmodum autem in lecto reponimus nocte dormienda corpora noſtra per motus diurnos feſſa, aut ſi non dormienda, ſaltem quieſcenda, cui uſui hodie habemus lectos ſpeciales vernaculo ſermone *Ruſtbancken* dictos, quibus homines molles & delicati aliquando torporis vel animi gratia ſe dedunt. Pari modo hæ lecticæ à ditioribus plerumque adhibebantur, vel domi quæ appellabantur *Lucubratoriæ*, vel foris commoditatis aut voluptatis ergo, ne in turba luctari neceſſe haberent, uti infra latius oſtendemus.

CAP. II.

De duobus Lecticarum generibus, Aperta, & Tecta.

LEcticarum duo erant genera: *Apertæ* & *Tectæ*: quibus tertium,

tium, *Volubilem* nempe, addit Ligorius, *in Diatrib. de veh. ant. cap. ult.* Eam autem ex ingenio ſcriptoris eſſe natam, ejuſque nec volam, nec veſtigium extare apud Veteres, notat ad Ligorii locum doctiſſimus Schefferus.

Harum aliæ erant *majores*: aliæ *minores*: aliæ *inſtructiores*: aliæ *minus ornatæ.*

Lectica *aperta*, erat machina ſeu compages, ex tabulis quadratis longioribus facta, ſpeciem referens *lecti funebris*, pulvino inſtructa oblongo, in quo homo ſingularis porrectus jacere poterat.

Dico, *homo ſingularis*, aliquando tamen unâ eademque lectica plures fuiſſe vectos negare non auſim, propter varia quæ expreſſe id indicant ſcriptorum loca. Sic Neronem cum matre ſua eadem lectica vectum prodit Suet. *in ejus vita cap.* 9. Et Servium Cytheridem ſecum Lectica aperta portaſſe, memorat Ci-

cero *ad Att. Lib.* 10. *cap.* 12. Huc facit elegantiſſimus Ciceronis *in Epiſt. ad Famil. Lib.* 7. *Ep.* 1. *locus: Tu modo iſtam imbecillitatem valetudinis tuæ ſuſtenta & tuere, ut facis, ut noſtras villas obire, & mecum lecticulam concurſare poſſis.*

Manifeſta ergo eſt differentia inter *ſellam* & *lecticam*, quod in priori ſemper unus ferebatur, in poſteriori etiam plures.

Lectica vero *tecta*, in eo ab *aperta* diſtinguebatur, quod, uti nomen indicat, contra adſpectum hominum, & injurias aëris, pulverem, ventum, ſolem, erat clauſa undique & munita, unde arcæ & arceræ (de qua Gellius lib. 20. cap. 1.) eam comparat Polletus, *in Hiſtor. Fori Rom. Lectica*, inquit, *tecta erat & munita, quaſi arca quædam veſtimentis inſtrata.* Eapropter à Plinio, Nepote dicta *Cubiculum tectum*, ab altero vero Plinio hujus avunculo, *Cubiculum viatorium* appellata. *Lib.*

Nat.

Nat. Hiſt. 37. *cap.* 2. De tecta Lectica elegans quoque eſt locus apud Tertull. *de pallio Cap.* 4. *Aſt nunc in ſemetipſos lenocinando, quo planius adeantur, & ſtolam, & ſupparum & crepidulum, & caliendrum ipſas quoque jam Lecticas, & ſellas, queis in publico quoque domeſtice ac ſecrete habebantur, ejeravere.* Si ergo in Lecticis domeſtice & ſecrete habitæ mulieres, uti inquit Tertullianus, intelligo, ita vectas, quaſi domi eſſent, & ab omni turba ſeparatæ, quales lecticas undiquaque fuiſſe tectas, nullum eſt dubium.

Dixi quoque quod *clauſa fuerit undique & munita*, velo ſcilicet & pellibus. Unde Martialis xi. *Epig.* 99.

Lectica nec ſi tuta pelle velove
Nec vendicabat ſella ſæpius clauſa.

Atque ita omnino erant circumtectæ, niſi quod ab utroque latere haberent feneſtellam, quam obducebant velo vel linteo, quod pro

vchentis voluntate poterat vel dim[o]veri, vel adduci, uti abunde confi[r]mat locus Suetonii in Veſpaſiano cap. 10. *Deinde ad primam ſtatim man[]ſionem febrim nactus, cum inde Lectic[a] transferretur, ſuſpexiſſe dicitur, dimo[]tis plagulis, cœlum: multumque com[]queſtus eripi ſibi vitam immerenti.* E[t] in Tib. cap. 64. Ubi *Obſui Lecticam* jubet Tiberius. i. e. plagulas ita a[r]cte jungi ac connecti, ut nec intus nec exterius aperiri poſſet, niſi ru[]pta & ſciſſa futura. Præcipue vero lecticæ cubiculares habebant valvas quas dormituri claudebant. Ut pa[]tet ex Julio Obſequente [illegible]

[illegible]

De his Lecticarum foraminibu[s] vel feneſtris, per quas proſpecta[]bant, controvertitur inter viro[s] maximos, Lipſium & Schefferum. Lipſius duas feneſtras fuiſſe credit quod pernegat Schefferus, motus auctoritate Juvenalis. ſat. III. qu[i] unius tantum facit mentionem:

Nam[]

Namque facit ſomnum clauſa Lectica feneſtra.

Aſt ego ſubſcribere non vereor ſententiæ Celeberrimi Lipſii, motus in primis loco Juvenalis. Sat. 4.

— — — — — — — amica
Quæ vehitur clauſo latis ſpecularibus antro.

Ubi notandum eum dicere expreſſe in plurali, *ſpecularia.* Quamvis videam de baſterna hunc locum intelligere Schefferum *de R. V.* 2.6. ego tamen de lectica intelligendum cenſeo, uti etiam eum cepiſſe video Voſſium in Etymol. voce *Lectus.*

Præterea feneſtras haſce ſine vitris fuiſſe ſuſpicatur Schefferus: exceptionem tamen agnoſcens in Lecticis muliebribus, eas ſcilicet fuiſſe occluſas vitris, lapideve ſpeculari, cujus contrarium ſtatuit Lipſ. Elect. lib. 1. cap. 19. Fundamentum ponens in eo, quod ſæpius in Lecticis ſedentes vela dimoverint, ut proſpectandi liberior daretur facultas,

cultas. Quoniam igitur non ex-preſſe dicitur quod vela dimoverint & aperuerint feneſtras, ſibi perſua- det Schefferus ſola plerumque fuiſ- ſe vela, non vero feneſtras: Aſt mihi, quod pace tanti viri dixerim, non videtur ſatisfacere hæc opinio. Nam cum vela jam eſſent remota, facile per feneſtras proſpectare po- tuerunt, ut ſatis ſuperque quotidia- nus nos docet uſus: Utique apertis ſeu depulſis tabulis i. e. feneſtris ut vulgo vocantur ligneis, per vitrea facillime, quodcunque libuerit, in- tuemur. Videmus itaque verba illa *remoto velo*, Schefferum non juvare: quandoquidem ſolum viſui obſtat velum, non vero *vitrum*.

Vela autem, quibus hæ feneſtel- læ operiebantur, audiebant plan- gulæ: eo enim nomine veniunt a- pud Suet. in Tito. *cap.* 10. ubi vi- deantur Commentatores: Meminit etiam earum Seneca Suaſor. 7. Liv. lib. 39. cap. 6. *Ii primum lectos æra-*

toſ

tos veſtem ſtragulam pratioſam plagulas & alia textilia advexerunt. Idem tradit Varro de vita Pop. Rom. *Eburneis lectis & plagis ſigillat.* Ex quibus colligere poſſumus, *plagas* ſeu diminutivum *plagulas* textilia illa fuiſſe, quibus lecti vel lecticæ operiebantur, circumtegebanturque, quam interpretationem recipiunt. Turneb. *Adverſ. lib.* 1. *c.* 25. Barth. *Adverſ.* 1. 25. & XXII. 16. Lipſ. *Elect. lib.* 1. *cap.* 19.

Quia autem hæ Lecticæ ejuſmodi velo vel valva erant inſtructæ, *Valvatæ* vocantur *Lecticæ*: ſic *Lecticis valvatis tam apertis quam opertis, pro Majeſtate Imperatoria & Conſulari uſi.* Lipenius in *Hiſt. Strenar.* §. 24.

Schefferus de re vehic. lib. 2. cap. 5. *plagulas* tamen & *plagas* diverſas eſſe ſtatuit: *plagulas* exponens velum illud quo operiebantur lecticarum feneſtræ: *plagas* autem, ſindonem qua obvelabantur lecti: Cui ſententiæ etiam favere videtur Bu-

dæus in Annot. poſter. ad Pandectas, plagam, ſtragulum, & tapetia confundens. An vero apud veteres hæc differentia fuerit obſervata, haud immerito dubitatur.

Ulpianus, in *l.* 23. *ff. de Auro & Arg. Leg.* voci *plagulæ* aliam tribuit ſignificationem, eamque veſtem fuiſſe muliebrem innuit, dum eam l. 1. inter veſtimenta muliebria recenſeat. Quamobrem reprehenditur à Marcello Donato in *notis ad Liv. lib.* 39. *cap.* 6. qui *plagulam, velum* (vel *carbaſum* Curtio dictum *lib.* 8. *cap.* 9.) illud vult denotare, quo tegebantur feneſtræ Lecticarum, minime vero *indumentum mulieris.*

Hunc itaque locum Ulpiani juxta & in eum criſin Donati, cum ante aliquot tempus propoſuerim, *Viro Cl. Th. J. ab Almeloveen in alma Academia Gelro-Zutphanica Profeſſori Digniſſimo, olim Præceptori ad urnas venerando:* Reſpondit ſibi videri, minus

minus juſte hic Ulpianum accuſari & carpi à Donato, cum haud ſit incredibile, Veteres habuiſſe ejuſmodi veſtimentum vel tegumentum muliebre, quo uſi ſint cœlo inclementi ac tempeſtuoſo non tantum, ſed & ſereno, ne viderentur ab hominibus eos prætereuntibus, quales ſunt Belgis ex lana *Regenkleeden*, ex ſerico *Sluyers*. Et proinde, quia plagulis his fere ſimilibus occaſionibus tam ad arcendas pluvias, quam ad impediendum prætereuntium adſpectum uſi ſunt antiqui, facile per metaphoram ab hoc Lecticarum velo deſumptam idem nomen tali veſti potuerunt indidiſſe, quæ ſolutio Viri Cl. licet ſit extemporanea, viſa tamen mihi fuit veriſimillima, & digniſſima quæ hoc loco inſeratur.

CAP. III.

De Apparatu Lecticarum.

IN ſtructa Lectica erat pulvino, ut mollius hi Sardanapali, qui eis vehi ſolebant, cubarent: Hinc *ad pulvinum aſcendere* ſcripſit Seneca Conſolat. ad Marc. cap. 16. *Equeſtri inſidens ſtatuæ, in ſacra via, celeberrimo urbis loco, Clœlia, exprobrat juvenibus noſtris pulvinum aſcendentibus, in ea illos urbis parte ſic ingredi, in qua & fœminas equis donavimus.* Hinc Juvenalis. ſat. 1. ℣ſ. 159. Lecticam *penſilem plumam* vocavit.

> *Qui dedit ergo tribus patruis aconita vehatur*
> *Penſilibus plumis.*

Quin imo lautiores & delicatiores homines, ne his quidem, quas enumeravi, delitiis & commodis contenti, pulvinos hos roſis infarciebant. Quare *Cic. de Verre lib.* 5. *cap.* 11. ait: *Lectica octophoro vehebatur, in-*

in qua erat pulvinus pellucidus Melitenſi roſa fartus. Plura vide apud Kobierzyckium *de Luxu Roman. lib.* 2. *cap.* 5.

Harum Lecticarum fundus conſtabat latis vinculis lineis ſeu loris. *Martial.* 2. *Epigr.* 57. A. Gellius. *lib.* 10. *cap.* 3. *ſtruppos* vocat, nonnunquam ligneis tabulis, quibus commode, ſi quando luberet ſedere, ſellas minores imponebant, quemadmodum ad Martial. 4. *Epigr.* 9. tradit doctiſſimus interpres Ramireſius.

His tabulis ab utroque latere apponebantur aſſeres, quibus humeros ſupponentes Lecticarii Lecticam bajulabant. De his agit Martial. lib. 9. Epigr. 23. verſ. 6.

Ut Canuſinatus multo Syrus aſſere ſudet

Suet. in Calig. cap. 58. *Ad primum tumultum lecticarii cum aſſeribus accurrerunt.* Et Juvenal. ſat. 7. ℣ſ. 132.

—— longo premit aſſere Medos.

Eos aſſeres, ut accuratius paulo deſcribam, dico longas fuiſſe perticas, quod colligo ex Gloſſario veteri. *Aſſeres* δοκίδες ὡς Ιϰβενάλιος, *σανίδες*. Et in Gr. Lat. Κοντοὶ, *δοκοὶ*, *στρωτῆρες*. Κοντὸς enim *pertica*, *ſudis*. Quid? aſſeres *tigilla* dicuntur non tabulæ, Vitruvio, Juvenali, & Plinio, ut inquit Grapaldus in Onomaſtico. Belgæ vocant *Eiken ribben*, auctore Voſſio in Etymologico, in voce *Aſſeres*. Cæterum non inconcinne vocaris *Draagboomen*.

Præter hos aſſeres in lecticis gravioribus adhibuiſſe etiam *furculas*, ut facilius portarent, velle videtur Scheff. de Re Veh. 2. 5. Sed, ut verum fatear, vix id comprehendo, *furcâ* enim, à qua diminutivum *furculâ*, lectica, utpote onus nimis grave, qui portari potuerit ignorare me fateor, multo minus *furcula* id potuiſſe fieri credo, furcis enim ſive furcillis lata eſſe olim, & etiamnum ferri, ſtramenta, novi,

non

non autem res magni ponderis. *Furcam* tamen & lignum plauſtri fuiſſe quo ſuſtentatur temo, invenio apud Argolium in Not. ad Panvinium de ludis Circenſibus lib. 2. cap. 2. (In *Theſ. A. R. Cl. Grævii, tom. 9. p.* 373.) Sed nec hoc in lectica locum habere potuiſſe video.

Aſſeres iſti erant exemptiles, ſic ut facile poterant eximi è lectica, itemque reponi. Hinc aſſer pro ipſa lectica occurrit in locis ſupra in teſtimonium adductis.

Fuiſſe aſſeres hos inſertos annulis, vinculis loriſve multum prominentes antrorſum retrorſumque credibile eſt. De loris idem ſentit Lipſius, idque firmat ex hiſce Gellii: *Ubi audivit, lecticam deponi juſſit: ſtuppiſque quibus lectica deligata erat, uſque adeo, verberari juſſit, dum animam efflavit.* Aſt Schefferus putat hic ſignificari funes lecticæ ſubjectos, in quibus pulvinus reponi ſolebat, aſſereſque hos vinculis è ſtup-

pa,

pa, id eſt; funibus canabinis ad lecticam religari ſolitos negat, ob eam rationem, quod putet non convenire hoc cætero lecticarum ornatui, quam tamen ego non admitto; nam non ſemper adeo cultæ erant lecticæ, ſed aliquando & rudes, ut infra dicam.

Habebat etiam lectica pedes breviores, quibus depoſita innitebatur, conquieſcebatque, numero plerumque quatuor, quamvis *Blondus in Roma Triumph. lib.* 9. Ex veteri marmore doceat, tres habuiſſe pedes ſubtus affixos. Quos licet modo dixerim breviores, aliquando tamen ſubfixos etiam altiores concedimus, ſiquidem auctore Servio ad *Virgilium Æneid.* 4. 685. gradibus eam aliquando aſcendebant, quod commode colligitur ex Seneca Conſolat: ad Marciam Cap. 16.

Pedes autem hi quamvis vulgariter eſſent ex ligno, ditiores tamen aliquando etiam inducebant argento, ad

ad majorem faſtum, quod ſatis ſuperque patet ex exemplo Athenionis Philoſophi, cui Athenæus *Lib.* 5. *c.* 10. tribuit φορεῖον ἀργυρόπȣν, id eſt, *lecticam cum pedibus argenteis*; Vocabulum enim φορεῖον apud veteres plerumque notat lecticam. Sic Onomaſticon Argentoratenſe. *Lectica* φορεῖον. Philoxenus ſimiliter, *Lectica*, φορεῖον. Gloſſæ Græcolatinæ, φόριον, *Lectica*, *feretrum.* Dixi, *plerumque*, nam φορεῖον etiam aliquando uſurpatur de *baſterna.* Sed nondum hoc ornatu contenta eorum temporum mollities, habuit etiam pedes ex auro, teſte Athenæo. *Lib.* 5. *cap.* 5.

In Lecticis hiſce non ut in ſellis, cathedriſve, ſedebant, ſed fere reſupini ferebantur. Quam ob rem Seneca *Cubile* pro *Lectica* poſuit. *lib.* 3. *de Benef. cap.* 28. Huc facit etiam locus Ovidii lib. 1. de art. am. verſ. 487.

Interea ſive illa thoro reſupina feretur;

Le-

Lecticam domini diſſimulanter adi.

Et elegans epigramma apud Pricæum in Apuleji *Apolog. p.* 173:

Porcius octophoro fertur reſupinus ad ædem
Junonis Triviæ, priſcaque templa Deæ
Et circum Phœbi: merito ſtupet inſcia turba
Atque ait: an horum victima porcus erit.

Nugatur autem ſuaviter (inquit Pricæus d. l.) compilator Juris Lexici, *Octophorum* pro *vehiculo* capiens, *octo rotas habente.* Dixi, quod reſupini ferebantur. Aliquibus tamen occaſionibus & in lecticis ſediſſe, auctor eſt Mercurialis *de Arte Gymnaſt.* 3. verſ. 11.

Lecticarum quemadmodum aliæ erant *majores:* aliæ *minores*, pro voluptate & dignitate eorum qui iis vehebantur; ita aliæ *inſtructiores:* aliæ *minus ornatæ*, & ſubinde *tumultuariæ.*

Ex

Ex majoribus ac maxime lautis erat Alexandri Magni, quam Curt. lib. 8. cap. 9. hiſce deſcribit: Aurea lectica *margaritis circumpendentibus recubabat*. Ubi per *lecticam auream*, non intelligendam exiſtimo talem, quæ ex mero conſtabat auro, ſed *auratam*, *auro obductam*. Pari modo, ut *calcei aurei*, quorum aliquando mentionem fieri videmus, *(V. Balduini Calceus Antiquus Cap. 18.)* exponendi ſunt, *auro vel gemmis obducti*. Uti teſtis mihi eſt. Ant. Bynæus, *de Calceis. Pag.* (*m*) 38. Et ex eo Joann. Nicolai, in *Diſquiſit. de Subſtrat. & Pignorat. Veſt. cap. 4.* §. 7. Sic *lecti eborati*. Apud Varronem. *Cum in eborato lecto, ac purpurei operis toro cubare videas ægrotum.* Et Plautus in *Aulul. Act.* 2. *Sc.* 2.

> *Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram*
> *Nihil moror, quæ in ſervitutem ſumptibus redigunt viros.*

Inter lecticas prætioſas quoque erat Anto-

Antonini apud Herodianum. 5. 8. 13. quæ itidem *auro multo & pretioſiſſimis gemmis culta erat & ornata*. Unde de Lecticis gemmatis & auratis exponendus eſt Lampridius in Antonino. cap. 29. *Habuit gemmata vehicula, & armata, contemptis argentatis & eboratis & æratis.* Ita etiam Curtius. d. l. de eodem Alexandro Magno refert, *quod pellicum longus ordo lecticis auratis eum ſequebatur*. Lecticæ *minus ornatæ* erant ſimplices, nullo auro gemmiſve diſtinctæ, cujuſmodi utebantur homines tenuioris fortunæ, ut ex Suetonio in vita Tib. conſpicuum eſt. De *Tumultuariis* infra.

CAP. IV.

A quibus Inventæ ſint Lecticæ.

TEmpus, quo uſurpari cœperint, poſt enarratas de inventoribus diverſas doctorum opiniones, verbo indicabimus. Cenſet vir erudi-

eruditiſſimus, Juſtus Lipſius, inventas & excogitatas eſſe Lecticas à Bythinis, quod colligit ex verbis hiſce Catulli Epigr. 10.

At certe, tamen inquiunt, quod illic
Natum dicitur eſſe comparaſti
Ad Lecticam homines.

Præterea ſententiam ſuam confirmare conatur ex Ciceronis in Verrem lib. 5. (ubi ait) *Morem fuiſſe Bythiniæ regibus lectica octophoro ferri.* Quam opinionem Lipſianam olim fovit vetus Scholiaſtes Juvenalis, ad ſat. 1. ℣ſ. 121. deceptus eodem Ciceronis loco: verba ejus ſunt, *Lecticarum uſum primi dicuntur inveniſſe Bythini, idque probatur ex illo Ciceronis: Nam una haud mos eſt Bythiniæ regibus vehi lectica*, i. e. octophoro. Quæ verba adverſari magis videntur, quam inſervire probationi hujus opinionis: prudentior tamen fuit Cl. Lipſius, qui verba hæc hoc modo legens: *Nam ut mos fuit Bythiniæ regi-*

regibus, vehi lectica. ſententiæ ſuæ adhuc aliquem quærit colorem, non tamen confirmationem: laborat enim graviſſime argumenti hujus, ut ita loquar, conſequentia: Si mos fuit Bythiniæ regibus lectica vehi, ergò à Bythiniis eſt inventa, cum & Romanis, Perſis, Indis, aliiſque gentibus hic mos fuerit receptiſſimus. Sic apud Perſas in uſu fuiſſe Lecticas, docent hæc Plutarch. in Pelopi. pag. 294. *quod Perſarum Rex Artaxerxes lectica donaverit Timagoram Athenienſem, qui illa quoque delatus eſt.* Nec Indis lecticas ignotas, quoniam iis geſtari Regem, alioſque ſummi ordinis viros, teſtantur, qui illas regiones nobis deſcripſerunt. Macedones eas uſurpaſſe, uti & Syros, ex Athæneo. lib. 5. conſtat. Verum an ideo ab iis fuerint inventæ affirmare non auſim. ſed ut aliud præſidium, quod in Catullo ponit Cl. Lipſius, ipſi adimatur, ſequemur acutiſſimum Joſephum Scalige-

ligerum in Caſtigat. ad Catull. longe alio modo quam quidem Cl. Lipſius, hæc epigrammatis decimi verba explicantem, quo præſidium hoc everti nemini non perſpicuum erit. Hanc ob cauſam doctiſſimus Schefferus *de Re vehic. lib. 2. cap. 5.* diſerte ſcribit: Lipſium Catullum ne quidem intellexiſſe: Nam hoc loco illud *Natum*, non refert Scaliger, uti Lipſius, ad *Lecticam*, ſed intelligendum, monet, de pecunia per comitem conſulis, negotiatione quæſita in provincia: quod uti clarius appareat, ipſiſſima Scaligeri verba ad hunc Catulli locum, ſubjiciemus. „diverſum, ait, æs natum „in provincia ab eo, quod dixit, „quantum provincia profuiſſet ære. „Comites proconſulum duplicia „commoda in provincia percipiebant: alterum ex negotiatione „ſua, quod hic more Græcorum „argentum natum dicitur. Nam id „illis eſt Tὸ *γινόμενον ἀργύριον*. Alte-

„rum

„rum ex provincia illis obveniebat:
„opera magiſtratus ipſius, quod lu-
„cellum vocabatur, ut alibi doce-
„bimus ex Cicerone. Quod ergo
„dicitur: Et quantum mihi pro-
„fuiſſet ære, hoc eſt ecquid lucel-
„li mihi obveniſſet ex Bythinia.
„Hoc vero quod natum dicitur,
„h. e. quod quæſiviſti negotiatione
„tua. Notum ex Salluſtio in Ju-
„gurth. quæ ſint negotiationes to-
„gatorum, ut ipſe vocat. Sic ita-
que ex ſcaligeranis hiſce clariſſime
demonſtratum eſt, falſum hac in
parte fuiſſe Cel. Lipſium, & addu-
ctis locis ſententiam ejus minime
fulciri poſſe.

Forent nunc quidem meæ partes
demonſtrare locum ubi fuerint in-
ventæ: At doctioribus id relinquens
ſuperſedebo, utpote conſcius me
hac dubia in re certi quid ſtatuere
non poſſe. Ab antiquiſſimis nam-
que temporibus conſuetudo iſta a-
pud omnes fere orientis populos ob-
tinuit,

tinuit, tranſlatuſque eſt hic mos ab Indis ad Perſas & Medos, ab his ad Cappadoces & Bythinos, ab iis ad Græcos, à Græcis demum ad Romanos, obſervatore Voſſio ad Catullum.

CAP. V.

De Tempore quo in uſu venerant Lecticæ, & quales perſonæ iis fuerint uſæ.

Circa tempus obſervamus, lecticas in uſum primo veniſſe, auctore Lipſio, poſt primum bellum Punicum: Aſia devicta, ſcilicet quia Aſiatici homines molliſſimi audiebant.

Tectæ Lecticæ in uſu fuerunt à temporibus Julianis: *operta* vero inter Romanos primus uſus eſt Claudius. Lipſius. *Elect. lib.* 1. *cap.* 19. Aſt notandum iis temporibus lecticas demum adhibitas ad ingredienda itinera, non vero ad deſidiam aut voluptatem. Ante Ciceronis nam-

que ætatem nulla Lectica in urbe uſurpata, frequentes è contra in agris, increſcente vero deinceps luxuria ac mollitie hominum, tempore Julii Cæſaris, in urbem recepta eſt: Julium enim Cæſarem *lectica per urbem latum* colligimus ex Ciceron. Philipp. 2. Imperatorum exemplo ducti & quaſi incitati lecticas etiam Conſules uſurpare cœperunt. Dio. lib. 40. *Auguſtus & Tiberius lecticarum uſum ſibi ſolis reſervarunt, poſtmodum autem Claudius etiam conſulibus indulſit*. Inde Mamertinus Conſul Julianum Imperatorem laudat, quod *Lecticam Conſularem*, intra palatii ſecreta introire juſſerit, *in Panegyrico* ipſi dicto. pag. 68. *pene intra ipſas palatinæ domus valvas, Lecticas Conſulares juſſit inferri: & cum honori ejus venerationique cedentes ſedile illud dignitatis ampliſſimæ recuſaremus, ſuis nos prope manibus impoſitos mixtus agmini togatorum præire cœpit pedes, gradum moderans pene*

ad

ad lictoris nutum, *& viatoris imperium.* Vid. Martinus Lipenius in Hiſt. Strenar. ætate ſtrenarum ſecunda, §. 24. Et Chimentellius de Honore Biſellii. cap. 12. (In Theſ. A. R. Celeberrimi Grævii, *tom.* 7. *pag.* 2064.)

Imo uſque adeo increbreſcere cœperunt Julii temporibus, ut nemo etiam ſequioris ſexus paulo potentior extiterit, qui non luxurioſis quaſi abuteretur Lecticis. quid, vel ipſi Cauſidici, quos Cicero de oratore. *lib.* 1. *cap.* 46. *proclamatores*, *rabulas*, *præcones actionum*, *operarios lingua celeri*, vocat & de oratore. *lib.* 1. *cap.* 18. lecticam ambiverunt, quos idcirco acri ſale perfricat Juvenalis *ſat.* 1.

Cauſidici nova cum veniat lectica Mathonis
Plena ipſo.

Hunc cum animadvertiſſet Julius Cæſar lecticarum abuſum, modum impoſuit, eas permittens ſolis fœminis

minis maritatis, juſtoque matrimonio ſublatos liberos habentibus, cum antea indiſtincte iis fuiſſent uſæ nuptæ innuptæque puellæ. In fœminis porro etiam ſenectutis habuit rationem, ſiquidem hoc privilegio non niſi annos quinquaginta quinque egreſſæ gaudebant: obſervari voluit & tempus, cum poteſtatem lectica vehendi non concederet niſi diebus ludorum publicorum & ſacrorum. Docet hoc Suetonius in Julio cap. 43. *Uſum lecticarum non niſi certis perſonis, ætatibus, perque dies certos conceſſit.* Ex quibus eo tempore licentiam lecticâ vehendi ſpeciale jus privilegiumque fuiſſe diſcere eſt. De Claudio in ejus vita cap. 28. ſcribit idem auctor *jus lectica vehendi tribuiſſe Harpocrano liberto*, quo loco aſſerere annititur Mercurialis, libertis omnibus lecticâ per urbem geſtari fuiſſe vetitum. *de arte Gymnaſt.* 3. 11.

Poſtea lectica utebantur indiſtin-

ctè

ctæ viri ſimul ac fœminæ, imo nec ea caruere pueri ætatis necdum adultæ. Ligorius *de Vehic. Antiq. cap.* 21. De viris id probare ſupervacuum arbitror, cum nulli ignota eſſe poſſint exempla, Julii Cæſaris, Auguſti, Tiberii, Neronis. Vid. Ciceron. *Philipp.* 2. Suet. in Auguſto. *cap.* 53. *&* 78. In Tiberio. *cap.* 30. In Nerone. *cap.* 8. *&* 28. Dion. Caſſ. *lib.* 53. *pag.* 609. Eutychianam quoque papam, in lectica circumgeſtari ſolitum fuiſſe, ut oſcula ſuis libaret pedibus, ſcribit Damaſc. Epiſc. Rom. *in vit. Papar.* referente Wolfio *Cent.* 3. *Lect. Mem. pag.* 29. V. Hoppingh. de *priſco & novo Armor. & Inſign. Jure pag.* 76. Sed vix intelligo quid idem d. l. velit, cum ait: *Ethnicos quoque Sacerdotes Romanos, in templis prope januam Lecticam quoque habuiſſe, tanquam cuſtodes & refugium.* Cum itaque memorata exempla abunde doceant, Cæſares, ſummique ordinis viros lectica ge-
 ſtari

ſtari ſolitos, ſponte corruit opini
Pyrrhi Ligorii de vehic. *Antiq. cap*
21. docentis, *Octophoro apud R*
manos ſolum fuiſſe uſum Caligulam

Recordor modo me adduxiſſ
Suet. *in Aug. cap.* 53. quem de le
ctica intelligo, Schefferus licet *a*
R.V. 2. 4. de ſella exponat. Vide
tamen & Lipſ. *Elect.* 1. 19. eunde
de lectica capere, quoniam *August*
avo, inquit, *non reperio ſellam*, *ſe*
lecticam. V. & Pitiſc. ad Suet. L.C
In d. autem Suetonii loco, an le
gendum ſella *adoperta*, an vero *ada*
perta variant eruditi. *Beroaldus, Scri*
verius, Caſaubonus, Gruterus & *Schef*
ferus legunt *Adapertam*, contra ho
autem omnes, *Celeberrimus Philolo*
gus, Ultrajectinæ dum viveret decu
Academiæ, Joannes Georgius Græviu
legit *Adoperta. V. & Pitiſc. L.C.*

Principum, primorumque uxo
res, matronas nobiles iis in publi
cum eſſe delatas, teſtantur innume
ra exempla. De matre Neronis nar
rat

rat Suetonius in Neron. *cap.* 28. Ovid. de Remed. Amor. *lib.* 2. 663.

Forte aderam juveni, dominam lectica tenebat,
Horrebant ſævis omnia verba minis.
Jamque vadaturus, lecticâ prodeat, inquit,
Prodierat, viſa conjuge mutus erat.

Huc faciunt, Horatius. lib. 1. ſat. 2: & ibi Cruq. in Notis. Tertullianus lib. ad uxor. Et Gothofredus ad *L.* 49. *de legat.* 3. Mulieres quoque gravidas lectica vehi ſolitas prodit Bartolinus *de Puerper. Vet. pag.* 12.

Præter matronas honeſtiores ac nobiliores lecticis utebantur clientæ i. e. clientum uxores, quæ patronos in lecticis ſequebantur teſte Juvenal. *ſat.* 1.

—— —— Denſiſſima centum
Quadrantes lectica petit, ſequiturque maritum
Languida, vel prægnans, & circumducitur uxor,

Huic petit abſenti, nota jam callidus arte,
Oſtendens vacuam & clauſam pro conjuge ſellam.
Galla mea eſt, inquit, citius dimitte, moraris?
Profer Galla caput, noli vexare, quieſcit.

Vid. Staniſlaus Kobierzyckius, de Luxu Roman. *lib.* 2. *cap.* 2. Quod autem aliquando ab ipſis clientibus portata fuerit lectica, ut vult Lingor. de *Veh. Ant.* cap. 21. ignoro. Quin & honeſtarum mulierum ſpecie latentes meretrices lecticam aſcendere auſæ fuerunt. Apulejus in Apologetico. *Vectabatur octophoro, vidiſtis quam improba juvenum circumſpectatrix, quam immodica ſui oſtentatrix.* Uſque dum Domitianus Imperator, *probroſis fœminis lecticarum uſum ademit.* Suetonius *in Domit. cap.* 8. Dio *lib.* 58. Apulej. 11. *Metam.*

Juxta cum viris & mulieribus, quod

quod confirmatum ſatis arbitror, lectica vehebantur pueri prætextati. Ita Domitianus *patris prodeuntis ſellam lectica ſequebatur.* Suetonius in vita Domit. *cap.* 2. Lectica ferebatur Nero ſeptem ſolummodo annos natus. Idem in Neron. *cap.* 8. Et Tacit. Hiſtor. *lib.* 3. *cap.* 6. *ſimul ferebatur lecticula parvus filius, veluti in funebrem pompam.*

Ejuſmodi autem vehiculis qui utebantur, tam principes quam alii homines, vulgo magnam circa ſe habebant comitantium turbam. De Alexandro Magno prodit Curt. *lib.* 8. *cap.* 9. *Lecticam ejus ſequutos armatos corporiſque cuſtodes.* De Cauſidico Juvenalis *ſat.* 7. verſ. 141.

Reſpicit hoc primum, qui litigat, an tibi ſervi
Octo, decem comites, an poſt te ſella, togati
Ante pedes.

Meminit illius moris Suetonius *in Jul. cap.* 71. Tiberius Imperator ta

les è contra averſabatur comite
Suet. in ejus vita cap. 27. *Adulatio-
nes adeo averſatus eſt, ut neminem ſe-
natorum aut officii, aut negotii cauſ
ad Lecticam ſuam admiſerit.* Quo
& clarius de eo his verbis teſtatu
Dion. Caſſius. *lib.* 57. *pag.* 609. *S
quando Lectica geſtaretur, comitari ſ
non modo ſenatorem, ſed ne primario-
rum quidem ullum ſinebat.* Adde Sue-
tonium in vita Tiber. cap. 30. nar-
rantem *Tiberium comites à ſe remo-
viſſe.*

Illud quoque addam, non ſolum
viros comitum agminibus ſtipatos in
publicum proceſſiſſe, verum & ma-
tronas ipſas ancillarum greges, ſpa-
donum Phalanges, morionum a
cinifſiorum manipulos, ſæpenumer
ductitaſſe. Omnem illum luxum
nobis deſcribit Marcellinus Lib. 14
*Quo comitatu matronæ complures, o-
pertis capitibus, & baſternis per later
civitatis cuncta diſcurrunt. Utque præ-
liorum periti rectores, catervas denſa
oppo-*

opponunt, & fortes, deinde leves armaturas, poſt jaculatores, ultimaſque ſubſidiales acies, ſi ſors adegerit, invaſuras: ita præpoſitis familiæ ſuſpenſæ digerentibus ſollicite, quos inſignes faciunt virgæ dextris aptatæ, velut teſſera data caſtrenſi, juxta vehiculi frontem omne incedit textrinum; huic atratum coquinæ adjungitur miniſterium; deinde totum promiſcue ſervitium, cum otioſis plebejis de vicinitate conjunctis, poſtrema multitudo ſpadonum, à ſenibus in pueros deſinens, coloris obluridi, diſtortaque lineamentorum compage deformis. Hinc Hieronimus, in Epiſtola ad Furiam: *Noli ad publicum ſubinde procedere, & ſpadonum exercitu præeunte, viduarum circumferri libertate.* V. Meurſ. *de Luxu Rom. cap.* 6. Et Kobierzykius de Luxu *Rom. lib.* 2. *cap.* 3. Huc ſpectat & Plautus in *Aulularia:*

Enim mihi quidem æquum eſt, purpuram atque aurum dari.
Ancillas, mulos, muliones, pediſſequos,

Salutigerulos, pueros, vehicula qu
vehar.

Lepide & Terentius *Heaut. Act. 2*
ſc. 3.

Minime mirum, adeo impeditæ ſunt
ancillarum gregem
Ducunt ſecum ——

Juvenalis Satyricorum non poſtre-mus, mulieres ambitioſas notans ſic habet Sat. 6.

Ut ſpectet ludos conducit Ogulni
veſtem,
Conducit comites, ſellam, cervical,
amicos,
Nutricem, & flavam, cui det man-
data puellam.

Et Horatius Lyricorum princeps lib. 1. Sat. 2.

Si interdicta petes, vallo circumdata
(nam te
Hoc facit inſanum) multa tibi tum
officient res:
Cuſtodes, lectica, ciniflones, paraſitæ,
Ad talos ſtola demiſſa: & circum-
data palla:

Hunc

Hunc locum minus recte mihi cepiſſe videtur Doctiſſimus Dominus Eduardus à Zurck, dum ita ad eum notat: *Non intelligit* (ſcilicet Horatius) *lecticam portatilem, undique clauſam, qua portabantur matronæ, ſed interius conclave.* Vult igitur non hic intelligendam *lecticam portatilem*, quam ego omnino intelligi reor, agitur enim illic de eo more cum fœminæ lectica feruntur comitatæ à *cuſtodibus, ciniflonibus, paraſitis*, de quo modo egi. Negat etiam Zurckius intelligi *lecticam undique clauſam*, cum tamen fœminarum ordinario fuerunt clauſæ, aſt non vult etiam præfatus Dominus Zurckius hic agi de lectica *qua portabantur matronæ*, de tali vero agi ego manifeſte probari puto ex ultimo à nobis adducto Horatii verſu

Ad talos ſtola demiſſa, & circumdata palla.

Ibi enim fit mentio *Stolæ* & *Pallæ*, quæ ambæ veſtimenta fuerunt mu-

 liebria,

liebria, ergo dubio procul etiam ibi ſermo eſt de Lectica qua portabatur matrona illa, de qua ibi mentio. Poſtquam igitur quid non intelligat dixit Zurckius, pergit explicans quid hoc loco intelligat, per *lecticam conclave* ſcilicet *interius*, ſed lubens fateor me explicationem hanc non poſſe admittere, itaque hunc locum capiendum eſſe nego imo pernego, donec invenerim locum aliquem ubi tali in ſenſu ſumitur *Lectica*, quem vel vix vel nunquam reperturum me autumo, talem autem ſimul in Notis ſuis ſe produxiſſe opinatur Dominus Zurckius, ſententiam firmans ſuam, ex Suetonio in *Auguſto Cap.* 78. Aſt, pace præfati viri dixero, nunquam adhuc me vidiſſe aliquem d. Suetonii locum ita capientem, ſed quidem plures uno quaſi ore de *Lectica* uti clare Suetonius ait, *lucubratoria* textum intelligentes, quæ qualis fuerit, infra pluribus dicam, ubi ad eam

Diſſer-

Diſſertationis meæ pervenerit filum, ubi ſimul contra Ligorium, Suetonii locum dictum de *lectica militari* accipientem probabo, *lecticam lucubratoriam* eſſe intelligendam.

CAP. VI.

De Occaſionibus in genere quibus veteres hoc vehiculum uſurparint, & in ſpecie de more portandi in iis ſimulacra Deorum, & ex iis jus dicendi.

EXpoſitis huc uſque Lecticarum veterum originibus & ſtructuris, enarrandæ ac recenſendæ nobis ſunt variæ & plurimæ occaſiones, quibus veteres hoc vehiculi genere uſi ſunt. (1.) Pagani in Lecticis portabant Deorum ſimulacra minora. (2.) Utebantur iis magiſtratus jus dicentes. (3.) Voluptatis gratia. (4.) Ingreſſuri itinera. (5.) Si parum corpore vel pedibus valerent. (6.) Sanitatis ergo, ut puta ægrotantes, qui ſe iis circumferri patiebantur,

tur, ut illarum motu leviculo priſtinam recuperarent ſanitatem. (7.) Somni indigi in iis meridiabantur. (8.) Lucubrandi cauſâ (9.) Uſus eorum etiam erat in bellis. (10.) Noxii, ſi fortunæ eſſent excellentioris, iis ad ſupplicium deferebantur. (11) Ad efferendos mortuos. De quibus ſingulis pro temporis ac inſtituti ratione nunc paulo accuratius.

Lecticis imponere ſeu vehere ſolitos veteres Deorum ſuorum ſimulacra, refert *vir Cl. Johannes Braunius, in Academia Groning-Omlandica Profeſſor, Antiquitatum indagator ſagaciſſimus*, in Selectis ſacris lib. 4. *de planctu* ob Thammuz Cap. 10. §. 45. pag. 498. *Habuerunt* (inquit) *Gentiles thenſas ſuas, vehicula & fercula argentea & eburnea, atque Lecticas, quibus & impoſuerunt, & vehere fuerunt ſoliti deorum ſimulacra minora.* Servius ad Virgil. Æneid. 6. ℣ſ. 68. Ubi de ſimulacris brevibus, quæ ξόανα dicta fuerunt: *Portabantur in lecticis*

lecticis & ab ipſis mota infundebant vaticinationem : quod fiebat apud Ægyptios & Carthaginienſes. Et iterum Idem d. libro cap. 10. §. 147. p. 500. *Ejuſmodi ædiculis, arculis, ciſtis, ferculis, Lecticis, thenſis, rhedis atque curribus Moabitas & Ammonitas idololatras, ſimulachra Molochi etiam tuliſſe, ut & reliqui populi ſolent, non ſine cauſa adfirmatur.*

Quod præſertim Romæ factum in annali illa pompa Circenſi, qua Deorum & Dearum ſimulacra, in thenſis, lecticis & ferculis in circo maximo circumferebantur circa metam in ludis Cereris, prid. Idus April: Ut in veteri Calendario, & iterum in ludis Romanis, qui & magni dicti, menſe Septembri, prid. nonas. Faſti veteres. V. Onuph. Panvin. de *lud. Circenſ. lib. 2. cap. 2.*

Lecticam uſurpabant Magiſtratus loco ſedis alicujus alterius ad jus dicendum, ut monet Gothofredus in notis ad *l. 7. ff. de S. P. R. Lit. V.*

Vid.

Vid. & Polletus *in Hiſt. Fori Rom*
lib. 1. *cap.* 6.

CAP. VII.

De Lecticis, voluptatis gratia adhibitis, ea-rumque uſu in ingrediendis itineribus.

VOluptatis quoque gratia lectic veteres fuiſſe uſos, abund ſcriptores teſtantur. Sic lecticis ac officia deferebantur divites, cum è contrario tenuioribus de tranſitu lu-ctandum erat cum turba. Quo al-ludit Juvenal. Sat. 3. verſ. 239.

Si vocat officium turba cedente ve-
hetur
Dives.

Cic. ad Famil. lib. 7. Epiſt. 1. *Ut noſtras villas obire, & mecum ſimul lecticula concurſare poſſis.* Idem ad Q. Fratrem. 2. 8. 5. *Eo die cœnavi apud Craſſipidem, cœnatus in hortos ad Pompejum lectica latus ſum.* Et *per vicos lectica deportabatur Auguſtus.* Suet. in Aug. cap. 78.

In

In gratiam eorum qui voluptatis ergo lectica vehebantur, parata erant loca peculiaria, quæ *Geſtationes* dictæ fuerunt. Ita Plinius junior. *lib.* 2. *Epiſt.* 17. *Geſtatio.* i. e. locus ubi geſtabantur, *buxo, aut rore marino, ubi deficit buxus, ambitur.* Et Ulpianus in *l.* 13. §. 4. *ff. de Uſufr. ſi forte voluptarium fuerit prædium, viridaria, vel geſtationes, vel deambulationes arboribus infructuoſis opacas atque amœnas habens.* Sic *ambulationes.* Suet. in *Aug. c.* 101. Feſtus. *Ambulacra, ambulationes*, loca ad ambulandum. Utitur etiam hoc ſenſu eodem vocabulo Columella de *Re Ruſt.* 1. 6. Non enim eſt inſolens Græcis & Latinis, res quæ in aliquo loco geruntur ponere pro ipſis locis, in quibus aguntur. Ita δρόμος, locus ubi curritur, *Jus* (quod varia ſignificare indicat *l. pen. & ult. ff. de J. & J.*) locus ubi jus dicitur, d. l. δία, locus ubi hiſtriones ſpectabant. Quæ ſingula exemplis illuſtrat

luſtrat Celeberrimus J. G. Græviuss
Lect. Hæſiod. Cap. 21.

Inter geſtandum certus quidam paſſuum numerus obſervabatur quem in deambulando adhibuiſſe Ciceronem teſtatur Plutarchus in Cicerone. Neque tantum ſub dio geſtabantur aut vectabantur, ſed & ſub tecto porticus alicujus. Hinc Juvenal. Sat. 7.

Balnea ſexcentis & pluris porticus, in qua
Geſtetur Dominus quoties pluit, anne ſerenum
Expectet, ſpargatque luto jumenta recenti?

neque hoc tantum tradunt ſcriptores priſci, verum & confirmant inſcriptiones antiquæ, quarum has ſuppeditat, in vaſto opere Gruterus. pag. cc1. n. 9. Prior ſimplicem geſtationem, poſterior exteriorem & interiorem indicat.

IN

IN HOC
POMARIO
GESTATIONIS
PER CIRCUITUM
ITUM ET REDITUM
QUINQIENS
EFFICIT PASSUS MILLE.

Ibid. n. 8.

GESTATIO
CIRCINI. EXTERIOR
ADIETA. APOLLINIS
AD. DIETA. EANDEM
IN CIRCUITU P. ∞ CC
LXXVII. EFF. VIII. M. P. II.
ET. P. CCXV.
E XLVII. P. M. XII. ET. P.
XVIIII.
GESTATIO. INTERIOR.
ADIETA
EAND. INCIRCUIT. P. ∞.
EFF. V.
P. ∞. E. LX. M. P. XIII.

Lecticam opertam, præcipue vero ruri, adhibebant iter inituri, viri æque ac fœminæ, quo tutius ſeſe

ſeſe munirent contra injuriam & im-clementiam aëris. *Lectica enim in Hiſpaniam profectus Julius Cæſar tra*ditur, Suet. in ejus vita. cap 71. *Il itineribus lectica uſus Auguſtus*. cap. 29 Item Tiberius. cap. 60. Et Caligula. cap. 43. Sic lectica octophoro iter facit Verres apud Ciceron Verr. 5. cap. 11. *Ut mos fuit Bythuniæ regibus vehi lectica.*

CAP. VIII.

Quomodo Lecticis utebantur ægrotantes.

A Sanis & robuſtioribus tranſimus ad valetudinarios ac imbecilles, mox ad ipſos ægros deſcenſuri, quibus & continuus & aſſiduus non modo, ſed neceſſarius erat opertarum uſus. Auguſtum, Tiberium, Druſumque Libonem *pedibus*, aliiſque vitiis laborantes iis in ſenatum deductos Sueton. *in Auguſt.* 33. Tiber. 30. Tacit. Annal. II. 29. Valer. Max. II. 8. 12. auctores ſunt.

Ita

ta & propter valetudinem lectica
ertur Hannibal. Nepos *in Hannib.*
Cap. 4. Idem narrat de Alexandro
nagno *Curt. lib.* 7. De Eumene *Po-
ianus* & *Plutarchus*. De Cn. Scipio-
ne *Liv. lib.* 22. De procuratore in-
ſulæ Bargates. Petron. c. 56. Ve-
rum cum Libonem ægrotum ad Se-
natum delatum aperte ſcribat Sene-
ca Ep. 30. quæri poſſet, num i-
pſum in ſenatum. i. e. conclave de-
tulerint, an vero ad curiæ duntaxat
fores? eruditiſſimum Schefferum de
Re Veh. II. 5. ſi audias, ulterius
non delatos credas, cujus tamen ca-
ſtra haud ſequor. Sed in ipſam et-
iam curiam lectica aliquando illatos
eſſe mihi perſuadeo, ductus apertis
Dionis, quæ vides, verbis lib. 57.
*ὅτῳ γάρ τοι κακῶς διέκειτο ὥστε ἐν σκιμπο-
δίῳ κατεστεγίῳ ἐς τὸ συνέδριον ἐσκομισθῆ-
ναι. Adeo male affecto corpore tum e-
rat, ut in lectica operta in curiam illa-
tus fuerit.* Et Suetonii *in Tiberio.* 30.
*Numquam curiam niſi ſolus intravit,
lectica*

lectica quondam introlatus æger, commi
tes à ſe removit. Sic Tiberium Att
tinum, hominem de plebe, querr
in forum ad conſules, inde in cu
riam juſſu conſulum lectica delatum
ſcribunt. Livius. 2. 36. Et Lactant
Div. Inſt. 117.

CAP. IX.

De Ægrorum Lectica duplici, Portatoria, & Fertorio.

ÆGrorum ac decumbentium lecticæ feruntur duplices. Prima ipſis medicis vocatur *Portatoria*, qua remedii loco in variis morbis ſuaviter circumgeſtabantur ad recuperandam amiſſam, firmandam vacillantem ſanitatem. De Geſtatione multa tanquam inventor, Aſclepiades poſuit in eo volumine quod communium auxiliorum præſcripſit. Ejus varios modos ſeu genera præſcribit Celſus II. 15. multiſque aliis in locis docet, quî Lethargi-

thargicis. III. 22. qui tabe laborantibus. III. 22. hydropicis pluribuſque morborum generibus conveniat, quæ plenius tradunt Alexan. Trallianus, Cœl. Aurelianus, & præſtantiſſimus in egregio de Arte Gymnaſt. opere. VI. 10. Hieron. Mercurialis. Elegans & notatu digniſſimus de geſtatione eſt locus Senecæ *Epiſt.* 55. *A geſtatione cum maxime venio, non minus fatigatus, quam ſi tantum ambulaſſem, quantum ſedi. Labor eſt enim & diu ferri, ac neſcio, an eo major, quia contra naturam eſt; quæ pedes dedit ut per eos ambularemus, oculos ut per eos videremus. Debilitatem nobis indixere delitiæ, & quod diu noluimus, poſſe deſivimus, mihi tamen neceſſarium erat concutere corpus, ut ſive bilis inſederat faucibus diſcuteretur: ſive ipſe ex aliqua cauſa Spiritus denſior erat, extenuaret illum iactatio, quam profuiſſe mihi ſenſi.* Illud quoque non prætereundum exiſtimavi, à medicis geſtationis

L modum

modum ægrotis eſſe præſcriptum, & quidem ſecundum Herodotum, *ut neque minus quinque ſtadiis, neque plus quam hujus duplum ſimiles geſtationes producerentur, atque ita ſequenti die obſervarentur; tertio vero die quinque ſtadia ſingulis diebus, uſque ad triginta ſtadia addebant.* V. Oribaſ. *Collect. Med.* 6. *Cap.* 25. Ut autem ſimul intelligatur ſtadium quo modo hic ſit capiendum, dico, intelligendum eſſe *Olympicum*, quod erat pedum DC. Ut & Gell. *lib.* 1. *cap.* 1. Idque ideo, quod cum curriculum DC. pedum confeciſſet uno ſpiritu Hercules (qui modus Olympici ſtadii fuit) ſubſtitiſſe dicatur. Differebant enim olim ſtadia, ideoque à Cenſorino *de die Natali Cap.* 13. dividuntur in tria genera, *Italicum Olympicum, & Pythicum.* *Italicum* vocat pedum DCXXV, uti etiam Plinius *lib.* 2. *cap.* 23. Columella *lib.* 5. *de Re Ruſt. cap.* 1. Iſidor. *Lib.* 15. *Orig. Cap.* 16. *Pythi-*

cum

cum pedum CIↃ. Sed inter *Italicum* & *Olympicum* nullum fuiſſe diſcrimen acutiſſime animadvertit Lucas Pœtus *lib.* 1. *de Menſur. & ponder. pag.* 3. Et Robertus Hueſ. *Tract. de Glob. part.* 3. *cap.* 2. Nam pes Græcus excedit pedem Romanum ſemuncia. Sexcentæ autem ſemunciæ conſtituunt pedes illos viginti quinque, quibus pes Græcus Romano pede longior eſt. Hæc itaque ad intelligentiam d. Herodoti l. ſufficiant. De diſcrimine ſtadiorum ſi quis plura deſideret, adeat Pœtum. d. l. & Pierium Hieroglyph lib. 36. ex Petr. Crinit. de *Honeſt. Diſcipl. lib.* 21. *cap.* 10. Conf. Dalechamp. ad *Plin. lib.* 2. *cap.* 33. *pag.* 81. Lindenbrogius ad Cenſoria: d. l. & Peucer. de *Dimenſ. terræ pag.* 36. 38.

Non etiam eſt ignorandum, magnopere referre cenſuiſſe veteres, quo in loco ægrotus geſtationibus utatur. Sic Aretæus *lib.* 2. *Cur. Chron. Cap.* 7. cœliacorum exercitationes

demonſtrans, eas cœteris prætu
lit, quæ inter *lauros*, *myrthos*, *atq*
thymum efficiebantur.

Hæc in lecticis geſtatio erat v
mitior vel vehementior, pro mo
borum varietate, de qua conſule
di Medici, præſertim veteres, u
Ætius, Galenus, Trallianus, all
que. Præterea geſtabantur, v
Sedentes, vel *Decumbentes. Sedent*
(ſecundum Ætium) portabantu
qui in integra febrium declinatio
conſiſtebant, ut & illi qui ali
exercitationes obire nequibant, q
cum adhuc imbecilles eſſent, vir
reficere cupiebant, qui tarde al
mentum conſumunt. Unde pruden
ter ſatis Cornelius Celſus *lib*. 3. *c*. 2
Ubi phtiſici navigare nequeunt, lecti
eorum corpora dimovenda conſuluit; p
ri modo Alexander Trallianus *lib*.
ſi quid aliud hujuſcemodi, geſtati
nes, & navi, & lectica factas, hy
dropicis jurare ſcripſit. *Decumbent*
in lectica ferebantur, ut Antillus

Ætiu

Ætius & Avicenna memoriæ prodiderunt, qui lethargica febri, aut ſemitertiana, aut quotidiana, ac phlegmatica vexantur, hydropici, ſecundum Tralliani ſententiam *lib.* 9. *cap.* 3. apoplectici, reſoluti, nephritici ac podagrici. Quibus mire hæc commoditas conveniebat, cum pedes officium ſuum denegent. Nolim hic diſceptare, num infrequens magis fuerit apud antiquos podagra: numque ea fœminæ fuerint tentatæ, (de viris enim modo dixi) vel ipſo ævo Hippocratis, qua de re Seneca *Ep.* 95. noſtris temporibus potentium & divitum eſt ἐπιδημία, i. e. *morbus ſparſus & graſſans per populum.* Dicam cum eodem Seneca *Multos morbos multa fercula fecerunt.* Iterumque: *Nunc vero quam longe processerunt mala valetudinis? Has uſuras voluptatum pendimus ultra modum, faſque concupitarum.* Nil igitur mirum, ſi multæ ad podagricorum levamen ſellæ quotide compingantur; laxiores

 illæ,

illæ, & molli undecunque fartæ, tu
diſtorti artus, & carnifices pede
inoffenſi conquieſcant. Quæ appo
ſito ſuppedaneo, ſubjunctiſque ro
tulis in quantamcunque partem ve
ſatiles, ab ipſo manibus pedibuſqu
capto ſeſſore, quaſi *αὐτομάτως* fac
le impellantur. Sed bonum factum
quod ſellæ operoſioris ſumptus, pro
letarios atque inopes non tam facil
& crebro afficiat; ſed in domibu
verſetur plerumque, quas purpur
& aurum operit, ubi lues hæc cra
pulæ filia, atque otii alumna, ſuc
creſcit, circa Podagram quondam
lepide ita ſe luſiſſe dicit Chimen
tellius de *Hon. Biſ. Cap.* 26.

Dira lues, tortor, gladius, crux fu
ſa per artus
Immane eſt quantum ſæcula noſtr
notet!
Sæpe illa petens lectos, ſellaſque po
tentum,
Quos gula ſupplantat, debilitat
que Venus.

Nom

Non paleam, lanam, pultem ſub paupere tigno,
Siccus ubi ſqualor, lar brevis, arca vacans.

Inſpici hic meretur ingenioſa, de *Aranea* & *Podagra* Nicolai Gerbelii fabula, quam exhibet nobis Camerarius in *Enarrationibus Æſopicis pag.* 215. Ubi jocoſe traditur ratio ob quam Podagra magis divites afficiat quam pauperes.

Lectica alterâ, ſingulari nomine dicta *Fertorium*, ſolum utebantur in deferendis ad Medicos decumbentibus, *ſi non etiam in templis Deorum, publico, qui mos Ægyptiis, exponendis.* Vid. Clariſſimi Celeberrimi viri, Fautoris mei honoratiſſimi, T. J. ab Almeloveen Inventa Nov. antiqua Sect. 10. pag. 107. 108. 109. Dixi *ſingulari nomine dicta Fertorium*, niſi cum Chimentellio d. l. *Fertorium* nomen generis intelligere velis, a qua ſententia nec ego alienus ſum. Dixi quod *Ægyptiis hic mos fuerit*

etiam tamen *Aſſyriis*, ut me docuit Strabo. *L.* 3. *&* 16. De hoc more exponendi ægros adi Suet. in *Tib. II.* *Juſſi ſunt omnes ægri in publicam porticum deferri, & per valetudinum genera curari*, id eſt, *Podagrici uno loco ſimul collocabantur: Febricitantes in alio. Phtiſici in alio.* Teſte nobis Beroaldo ad d.l. *Suetonii.* [*l.* dixi, de *Ægyptiis* & *Aſſyriis*: Babiloniorum quoque hunc morem fuiſſe docet *Herod.* 1. *pag.* 91. Et addit: *Fas non fuiſſe cuiquam ægrotantes præterire ſilentio, nec antequam exploraverit, quonam morbo laborent.* V. Tomaſ. de *Donariis Cap.* 35. Et Pitiſc. ad *Suet. l. d.*

Hi ægrotantes, ita publico omnium aſpectui oblati, *Deſperati* dicti. Iſidor. Etymol. *L.* 10. *Lit. D.* Rationem quare ita in publico diſpoſuerint ægros, reddit Plutarchus in libello, *An recte dictum latenter eſſe vivendum. At vero*, inquit, *priſci ægrotos ſuos in publicum proponebant, ut prætereuntium quivis, ſi quid ipſis eodem*

eodem morbo conflictatis, vel ſimiliter laborantibus aliis opitulatus eſſet, id ægrotanti ſignificarent, ajuntque artem hoc modo experientia adjuvante creviſſe. Non infelix forſan etiam conjectura erit, ſi hanc demus rationem, ideo hoc eſſe factum, ut prætereuntes commoverent ad miſericordiam, & ex elemoſynis quas accipiebant, facilius poſſent ſuſtentari, & curari ægrotantes.

Moris quoque olim erat, ut in templo Æſculapii ac Iſidis dormirent ægrotantes, ut vel ab oraculo curarentur, aut per inſomnia acciperent monita de morborum curatione, vel in templis ſolummodo decumbebant ægri, & clamare ſolebant ἰὴ παιὰν. *Medere Paan.* V. Celb. Almelovenius in *Inventis Nov-antiquis. p.* 107. *& ſeqq.* Hinc quoad prius, fuit in agri Bellunenſis vico Sebatione ſaxum.

ASCLEPIO.
P. AELIUS. POLLIO.

VISU, MONITUS.
POSUIT.

Et in marmore olim apud Rhamuſios patavio, poſtea Ateſte in amoenisſimo illuſtriſſimi Georgii Contareni omnis elegantiæ ſtudioſiſſimi horto variis Antiquitatum monumentis ſplendido.

I S I D I.
S A C R U M.
E X. M O N I T.
E J U S. D. D.
L. V A L E R I U S.
M E M O R.
VI. V I R. A U G.
L. D. P.

Simili modo magnæ auctoritatis Medicus Galenus, de *Cur. per Sang. Miſſ.* *Cap.* 23. *Monitus per quædam inſomnia, quorum Duo perſpicue mihi viſa ſunt, acceſſit ad dextræ manus arteriam.* Et reliqua Mox. *Miniſter Dei Pergami diutino lateris cruciatu laborans liberatus eſt arteria in ſumma manu inciſa, aggreſſus & ipſe illud inſomnii monitu.*

Nota-

Notatu digniſſimam hanc in rem hiſtoriam narrat. Plin. *lib.* 25. *cap.* 11. *Inſanabilis*, ait, *ad hoſce annos fuit rabidi canis morſus, pavorem aquæ, potuſque omnis adferens odium. Nuper cujuſdam militantis in prætorio mater vidit in quiete, ut radicem ſilveſtris roſæ, quam Cynorrhodon vocant, blanditam ſibi adſpectu pridie in fruteto mitteret filio ſuo bibendam. In Luſitania res gerebatur, Hiſpaniæ proxima parte: caſuque accidit, ut milite a morſu canis incipiente aquas expaveſcere, ſuperveniret epiſtola orantis, ut pareret religioni. Servatuſque eſt ex inſperato, & poſtea quiſquis auxilium ſimile tentavit.* Quas inſcriptiones & loca adducta debeo Doctiſſimo Thomaſino de *Donar. Vet. Cap.* 35. Videri tamen etiam poteſt Laurent. de Provid. Cap. 7. & Joh. Baptiſtæ pii Annot. poſter. cap. 10. In Face Artium Gruteri tom. 1. pag. 404. Sufficiant hæc ad illuſtrandum hunc ritum, & redeamus in viam a qua paululum

elegantia ejus deflexeramus, utque res poſtulare videtur, conemur amplius adhuc confirmare, & oſtendere, vocabula *Portatoria* & *Fertorium* (de quibus modo dicebamus) eo ſenſu quo a nobis ſunt uſurpata, occurrere apud ſcriptores antiquos. Cælius Aurelianus inter veteres medicos apprime doctus, elegansque, eorum haud ſemel meminit. Ita *Tardar. Paſſion. lib.* 1. *cap.* 1. Scripſit Cælius (ſi tamen is eſt auctor, & non J. Cælius Arrianus) *Ante cibum præterea erit adhibenda geſtatio, portatoria ſcilicet ſella, ſine vehementi motu:* Et ibid. *Adhibenda igitur vectatio, pro viribus ægrotantis, Fertorio, vel ſella procurata.* aliiſque in locis. Idem videtur eſſe *Fertorium*, & *ſella Fertoria*, uti inferius vocat. *Cap.* 5. *Sella* autem *procurata* quomodo. h. l. interpretanda ſit, acris inter eruditos eſt contentio.

Barthius *Adverſ. lib.* 41. *cap.* 25. intelligit, *ad id commode inſtructam,*

&

& neceſſariis omnibus curatam. Quam explicationem quamvis non abnuat Chimentellius de *Hon. Biſel. Cap.* 24. magis tamen amat exponere, *promptam, proviſam, curatam.* In quibus duabus opinionibus magis deprehendo logomachiam, & verborum variationem quam differentiam, re-vera enim eodem redit, re bene inſpecta.

Maxime horum explicationem juvare video Plaut: in *Stycho Act.* 1. *Sc.* 2.

———*Aſſide hic pater.*

ANT. *Non ſedeo iſthic, vos ſedete: ego ſedero in ſubſellio.*

PIN. *Mane pulvinum.* ANT. *bene procuras, ſatis ſic fultum eſt mihi.*

Tó *procuras* enim ibi eodem ſenſu uſurpatur. Schefferus *de Re Veh.* 2.4. ſellam nullam unquam *procuratam* ,, contendit: Nam, ait, apud Au-,, relianum illud *procurata* non ad ,, *ſellam* puto referendum, verum ,, longius præcedentem *vectationem.*

 ,, Di-

„ Dicitur *vectatio procurata fertorio*
„ *vel ſella*, quæ hoc genere vecta-
„ buli inſtituitur. Quomodo *ſomnia*
„ *procurata mola ſalſa* Tibull. *lib.*
„ 1. *Eleg.* 5. ſenſu licet alio uſurpa-
„ vit. Nam *Procurare* hic compo-
„ ſitum pro ſimplici *curare*. Jam
„ vero uſitatum *curare corpus cibo*,
„ *curare corpus ſomno*. Poſſumus i-
„ gitur pari ratione dicere, *procu-*
„ *rare vectationem fertorio*, quod hic
„ cogitaſſe viri docti non videntur.

Ego autem non video rationes ob quas non commodius ad *ſellam* referatur τὸ *procurata*, utpote modo tantum antecedens, imo conjunctum cum *ſella*, quam ad longius præcedens *vectationem*: Deinde explicationem ejus, quod *vectatio procurata fertorio vel ſella* velit ſignificare, *quæ hoc genere vectabuli inſtituitur*, minime probo, nam verum quidem eſt, quod dicit: *curare corpus cibo*, *curare corpus ſomno*, recte & latine dici, ſed non *procurare* vel *curare* *vecta-*

vectationem fertorio, illa enim latinitas mihi nimis videtur dura: Producit autem Tibullum *Lib.* 1. *Eleg.* 5. aſt nec illum huc facere video, *procurare* enim ibi ſumitur in alio ſenſu, pro *expiare*, Hinc & Cicero *Procurare* & *Expiare* conjungit. 2. *De Divinat. Cap.* 63. Idem *Lib.* 1. *C.* 2. *de Divinat*: *Magna vis eſt in monſtris interpretandis, & procurandis* (i.e. expiandis) *in Aruſpicum diſciplina.* ſic & Suet: *fulgur procurare*, inquit, *in Galba Cap.* 4. i.e. *ſacrificium, quo averteret ejus minas facere.* Ita & Phœd. 3. 4. 11.

Si procurare vis oſtentum, ruſtice
Uxores, inquit, da tuis paſtoribus

Procurationes & *Expiationes* conjungit etiam Seneca *N. Q.* 2. 35. & 3. 6.

Jam puto, ſatis oſtenſum, ſententiam Schefferi ſuper. h. l. minime eſſe amplectendam.

Mihi res ſatis clara eſſe videtur, ſi pro *procurata*, parva mutatione ſcriptum fuiſſe credamus *percurata*. *Per-*

curare

curare enim eſt *perfecte curare.* ſic Liv: *lib.* 21. *cap.* 56. *Vix dum ſatis percurato vulnere.* Et Seneca. *lib.* 3. *Q. Nat. cap.* 1. *Inveterata, & deſperata a medicis vitia percurant.* Dum *lecticam* hic intelligo per *portatoriam*, notandæ mihi videntur ſimul differentiæ, quæ alias ſunt inter *lecticam* & *ſellam.* Diverſitas hæc (1.) conſiſtebat in eo, quod in ſella ſederent, uti indicat ipſum vocabulum, in lectica vero cubarent. Uti ex Lipſio notat *Scheff. de R. v.* 11.4. quod intelligendum eſt de more ordinario, Extraordinariis enim occaſionibus, etiam in lecticis ſedebant. Teſte Mercuriali *de Arte Gymn.* 3.11. (2.) quod ſella eſſet altior, lectica longior, idque omnino erat neceſſarium, quia in ſella aliquis poſſe debebat ſedere, in lectica vero jacere cubareve. Quo reſpexiſſe videtur *Juven. Sat.* III. ℣. 135. ita canens:

Cum tibi veſtiti facies ſcorti placet, hæres,

Et

Et dubitas alta Chionem deducere ſella.

(3) Lecticas ſellis digniores fuiſſe docet *Lipſ.* 1. *Elect.cap.* 19. *Sellas*, ait, *poſtquam recepta in uſum, dignior habita lectica.* idque probari contendit ex modo adducto loco Suet. in Domit. c. 2. Quod jure merito aſpernatur magnus Caſaubonus, non enim hic agitur de ſella qualibet qua geſtabantur ſed de Curuli. Quam ſententiam etiam fovet Scheff. *de R. V.* 11. 5. Unde mirari liceat eundem Cl. virum, duobus ſequentibus capitibus ſibi contrarium: hic enim in d. Suetonii loco vult intelligi ſellam Curulem, ubi in præcedenti Cap. 4. eundem capit de ſella ordinaria, quod ut magis pateſcat, en ipſiſſima d. cap. 4. verba: „Erat autem non eadem „(ſc. ſella) cum lectica, quod Savaro cenſuit, ſed plurimum diverſa. Diſtinxerunt veteres clariſſime. Suet. *in Domit. c.* 2. qui ſolus „ſufficit. *Habitabat cum patre una,*

ſellam-

„*ſellamque ejus ac fratris , quotien*
„*prodirent, lectica ſequebatur.* Rede
ad lecticas ægrorum , eaſque iterum
duplicis fuiſſe generis dico , primum
in quo jacebant: Alterum *in quo ſede-*
bant. Teſte Ætio Amideno *lib*.3.*c*.(

CAP. X.

De Lecticis Dormitoriis , & Lucu-bratoriis.

NOnnunquam parciores ſomni
aut qui tota nocte oculis ſom-
num non viderant, in Lecticis com-
mode compoſiti, modica concuſſio-
ne blando ſomno obruebantur. D
Auguſto ſcribit Sueton. c. 78. *Eum*
ſæpius, dum per vicos deportaretur, de-
poſita Lectica, inter aliquot moras con-
dormiviſſe. Id quoniam ipſi admo-
dum erat familiare, caſtra ejus oc-
cupantes inimici, rati ipſum in le-
ctica torpidum jacere, eam inanem
tamen pilis & ſagittis trajecerunt.

cap

cap. 91. Adde, Atiam ne feſtorum quidem tempore in ipſo Apollinis templo ſe potuiſſe a ſomno continere. Audi Tranquillum cap. 94. *In Aſclepiadis*, ait, *Mendetis* Θεολογȣμένων *libris lego*, *Atiam cum ad ſolenne Apollinis ſacrum media nocte (nam tunc olim vulgo ſacra faciebant) veniſſet, poſita in templo lectica, dum cæteræ matronæ dormirent* (vel, uti magnus J. G. Grævius legendum cenſet *domum irent*,) *obdormiviſſe.*

Lecticis annumerantur *Lucubratoriæ*, quas *Domeſticas* appellavere. In hiſce, fixæ utique erant, tam Græci quam Romani, recubantes, lectioni, meditationi, aut ſcriptioni operam dabant. Vide Hildebrand. *in Compend. Ant. Rom. V. Lectica.* Auguſtum ſane, more ſæculi ſui, a *cœna in lecticam lucubratoriam ſe recepiſſe*, auctor eſt in ejus vita Suetonius cap. 78. Quem locum, licet de lectica militari agere contendat, ac ex eo lectica in bellis uſum Au-

guſtum

guſtum probare conetur. Ligorius *in Diatr. de Veh. Ant.* 21. de lucubratoria accipere minime veremur, quamvis inficias non eamus, Auguſtum alioſque Imperatores, ea in bellis uſos. Verum id ex l. c. probari non ita facile concedimus. Loquitur utique ſcriptor manifeſtiſſime de *Lectica lucubratoria*, quæ a militari omnino erat diverſa. Ejuſmodi lucubratorias lecticas *Scimpodia Græcienſia*, vocat Gell. lib. XIX. 10. Quum vero illæ lecticæ eædem fere eſſent quæ lecti, nonnunquam lecti audiebant. Plin. V. Ep. 5. *Cajus quidam Fannius, quod accidit, multo ante præſenſit. Viſus eſt per nocturnam quietem jacere in lectulo ſuo, compoſitus in habitum ſtudentis, habere ante ſe ſcrinium, ita ut ſolebat: mox imaginatus eſt veniſſe Neronem, in thoro reſediſſe, prompſiſſe primum librum, quem de ſceleribus ejus ediderat.* Ov. Triſt. 1:10. 37.

Non hæc in noſtris, ut quondam, ſcribimus hortis.

Nec

Nec conſuete meum lectule corpus habes.

Juvenal. Sat. 7.

Eſt genus ignavum quod Lecto gaudet & umbra.

Perſius.

Non quicquid denique lectis
Scribitur in citreis.

Cicero de Oratore *lib.* 3. *Cum dedita opera quieſcentibus aliis, in eam exhedram veniſſet, in qua Craſſus lectulo poſito recubuiſſet, cumque eum in cogitatione defixum eſſe ſenſiſſet, ſtatim receſſiſſe.* V. Laurentius de prand. c.21.

Nec eſt quod miremur, ſtudiis vacantibus lecticas familiares, cum tradant ſcriptores, in quorundam Philoſophorum Scholis diſcipulos e lecticis præceptores docentes, alios ſæpe recitantes, intellexiſſe. Caſ. ad Suet. A. 78. Vocabatur etiam hæc lectica recitantium, *Scimpodium*, & Σκίμπȣς, item δίφρος, & *Cathedra*. Hiſque etiam in profeſſione publica literarum uſos antiquos, notat Chimentell.

mentell. de *Hon. Biſel. cap.* 23.

Notanda ſimul hic meretur, veterum in ſtudiis mira aſſiduitas, quod ne quidem tempus, quo iter faciebant, eripi ſibi vellent, ſecuti vetus dictum:

Nulla dies abeat, quin linea ducta ſuperſit.

Hinc Plinius junior *lib.* 3. *Ep.* 5. *In itinere quaſi ſolutus cæteris curis, huic uni,* (ſtudio littrarum) *vacabat: Ad latus notarius cum pugillaribus & libro, cujus manus hieme manicis muniebantur, ut ne cœli quidem aſperitas ullum ſtudii tempus eriperet: qua ex cauſa Romæ quoque ſella veheretur.* Et Seneca de *Brev. vitæ cap.* 12. *Nec illos quidem inter otioſos numeraveris, qui ſella ſe, & lectica huc & illuc ferunt, & ad geſtationum ſuarum, quaſi deſerere illas non licet, horas occurrunt.*

CAP.

CAP. XI.

De Lecticis Militaribus, & iis quibus noxii ad ſupplicium deferebantur.

MIlitares lecticæ nomen acceperunt, quod in bellis forent frequentes. Narrat Curtius VII. 6. Lectica militari latum Alexandrum Magnum. Eleganter Feſtus, *Cubam Sabini vocant eam quam militares lecticam*, qua de vide *Ligor. de Veh. Ant. cap.* 10. Illæ autem quod rudes & inornatæ prorſus eſſent, *tumultuariæ* ſæpe appellantur: Schefferus autem in Notis ad Ligor. d. l. negat *Combam* ſignificare *lecticam*, *Combamque* alio nomine *Cumbam* & *Cymbam* ſignificare navigium, uti latius oſtendere conatur, in doctiſſimo ipſius de Militia Navali, opuſculo. Et tamen utriuſque ſententiæ ſubſcribo, licet primo intuitu hæc prioris contrarium alicui videri poſſent. En, itaque mentem noſtram, per

per *Combam*, *Cumbam*, *Cymbam* navigium intelligi Scheffero aſſentimur, per *Cubam* (de qua Feſtus & Ligorius) negamus, interque eas maximam agnoſcimus differentiam. *Cubam* vero recte dici *lecticam militarem*, quales Græcis vocantur χαμεύναδες, & χαμεύναι, cum politiſſimo ad D. Feſti locum Dacerio adſtruimus, ex eo, quod *Cuba* dicta ſit a cubando, in lecticis autem hiſce militaribus cubabant duces graviter vulnerati, iiſque aliquando in aciem iterum ſe deferri curabant, ut augerent animum militum ad præliandum, & ſervandum ordinem bonum. *Combatum* autem ſignificare *Carrum lectica inſtructum*, quod perſuadere nobis conetur Ligorius, *d. cap.* 10. vix credo, vellemque eum produxiſſe, nobiſque exhibuiſſe, antiqua illa marmora, in quibus id ſe ſcriptum inveniſſe refert.

CAP.

CAP. XII.


De Lecticis, quibus efferebantur Mortui.

COmmunis maxime & frequens fuit uſus in efferendis mortuis, veluti conſtat ex Quenſtedt. de *Sepult. Vet. Cap.* 6. Kirchmann. de *Funer. lib.* 2. *cap.* 9. Moreſtell. de Pompa Ferali *lib.* 2. *cap.* 10. Nicolai de *Luctu Græcorum cap.* 7. *pag.* 94. De Julio Cæſare, adi Sueton. cap. 82. de Attico ſcribit Nepos in vita ejus cap. 22. *Elatus eſt in Lecticula, ut ipſe præceperat, ſine ulla pompa funeris.* De Marcio Dioniſ. Halic. *Ant. Rom.* 8. 59. quod *Imperatorio cultu ornatus, lecticæ impoſitus ſit a juvenibus quibuſdam bellicis facinoribus clariſſimis, qui humeris ſuis eum extulerunt.* ſic & *lectica elata Lucretia.* Dioniſ. Halic. *A. R.* 4. 81. Et Ascon. in Ciceronem. *Cadaver Clodii in via relictum ſex: Tedius ſenator, qui forte tunc in urbem revertebatur, ſuſtulit,*

ſtulit, *& lectica Romam ferri juſſ*
Ita quoque *Virginiam virginem inte*
fectam lecticæ impoſitam eſſe teſtatu
Dion. Halic. lib. 2. Huc facit
Gell. *lib.* 10. *cap.* 3. *Quanta libid*
quantaque intemperantia hominum
doleſcentium, *unum exemplum vo*
oſtendam: His annis paucis ex A
miſſus eſt, *qui per id tempus magiſtr*
tum non ceperat, *homo adoleſcens*, *p*
legato; Is in lectica ferebatur, *ei c*
viam bubulcus, *de plebe Venuſina a*
venit, *& per jocum*, *cum ignoraret q*
ferretur, *rogavit*, *num mortuum f*
rent? ubi id audivit, *lecticam juſſit d*
poni: ſtruppis quibus lectica deligata e
uſque adeo verberari juſſit, *dum a*
mam efflarit.

Lectica hæc funebris, ſcriptorib
quoque *torum* ſimpliciter audire
deo. Sic Tacitus *Ann.* 3. *Ubi illa v*
terum inſtituta? præpoſitam toro effigie
Meditata ad memoriam virtutis carm
na & laudationes & lacrymas. Et Ov
lib. 6. *Met. Fab.* 3.

—*S*



---- Stabant cum veſtibus atris
Ante toros fratrum dimiſſo crine ſorores.

Propertius *lib.*. 2.

Nec mihi tum fulcro ſternatur lectus eburno
Nec ſit in Attalico mors mea nixa toro.

Verum non poſſum non hac occaſione paucis aperire duplex genus lecticarum, quibus in efferendis mortuis antiqui fuere uſi: *Aperta*, ſcilicet & *Tecta*: Illorum, qui ſua morte obierant, vel facie non erant plane deformes, cadavera, honeſtiſſimis veſtibus induta, & lectis ſplendidiſſime ornatis impoſita, palam *aperta lectica* efferebantur, quo unicuique defuncti faciem videndi facultas daretur. Qui mos hodie adhuc obtinet in Italia & Gallia Narbonenſi. Apertæ ſpeciem ex monumento M. Antonii Antii Lupi invenio apud Schefferum de Re Vihic. II. 5. ex eoque ſimul hic exhibeo.

Tectis e contra efferebantur L... cticis cadavera tabe vel diuturn... morbo emaciata, vel ædium ruin... deformata, vel alio quo caſu mu... tilata, quæ licet vitia præpoſit... larvis tecta ſæpe velo, aut veſtib... involuta legamus, tum funera di... cebantur larvata. Vel etiam ali... quando larvas fuiſſe lecticis impoſi... tas, quæ faciem defunctorum re... præſentabant, hæcque etiam di... cta fuiſſe *funera larvata*, mon... Quenſtedt. *de Sep. Vet. cap.* 6. *pa...* 115.)

Prioris generis tale larvatum er... funus Scipionis Æmiliani, de qu... Plinius ſcribit. *Obvoluto capite ej... elatum, ne livor aut tumor in ore ap... pareret*. Huc facit etiam nefandu... & impium facinus Neronis, qui me... tuens, ne mater Agrippa, quæ aſtu... tiſſima erat fœmina, Britannicum... Claudii Imperatoris ex Valeria Me... ſalina filium naturalem & legiti... mum, & Octaviæ fratrem, qui ju...

m...

re hæreditario patri in imperio ſuccedere debuiſſet, ad imperium proveheret, eum veneno ſuſtulit, annum agentem XIV. Cujus corpus ut vidit ex veneno livore decoloratum, gypſo oblinendum, & poſtero die raptim larvato funere efferendum curavit, cumque per forum funus efferretur, maximo imbri de cœlo, omne gypſum, quod adhuc molle erat & tenerum, ſublatum eſt, quo nefarium atque abominandum ſcelus nude omnium oculis eſt expoſitum; Auctore Dione in vita Neronis, ut & Zonara: à quibus tamen diſſentit Tacitus Ann. XIII. 17. *Nox*, ait, *eadem Britannici necem & rogum conjunxit.* Tacitum in notis ſequitur Lipſius. Mentio fit etiam funeris larvati, in eleganti epitaphio quodam duorum conjugum, in thoro conjugali oppreſſorum, quod quoniam in Grutero ac Reineſio non extat, unde dubitari poſſet de vetuſtate, huc ex Camera-

merario Medit. Hiſt. lib. 1. cap.9(
adſcribam.

ASPICE VIATOR. Q. SER
TULLI. ET DULCICULÆ
SPON. MEÆ RANCILIÆ
VIRG. SIMUL AC POST IN
DE. QUID FACIAT LICEN
TIOSA SORS LEGITO. II
IPSA FLORIDA ÆTATI
CUM ACRIOR VIS AMO
RIS INGRUER. MUTU(
CAPT. TAND. SOCERO. E
ET. M. SOCR. ANNUEN
TIBUS SOLENNI HYMEN
NUPT. COPULAMUR. SE
O FATUM INFELIX NO
CTE PRI. CUM IMPORT
VOLUPTATIS EX LI. FA(
EXTINGUERE. ET D. MU
VOTA COGEREMU
REDD. HEU. IPSO IN A
CTU DOM. MARITALI
CORRUENS AMB. JAM
EXIRE CUM DULCITUD
NE LÆTISS. PUTA NO
ERAT

ERAT IN FATIS TUM NOSTRA LONGIOR HORA CARI PARENTES LUCTU NEC LACHRYMIS MISERA AC LARVATA NOSTRA DEFLEATIS FUNERA: NE REDDATIS INFELICIORA. AD VOS NOSTROS DIUTURNIORES VIVITE ANNOS, OPTIME LECTOR, AC VIVE TUOS.

Celeber. vero C. Barthius Adver. XXIIII. 17. larvata funera interpretatur palantia, i. e. per buſticeta oberrantia, diebus vitæ non ad naturalem ordinem ſummamque perductis, quo ſenſu exponit mox recitatum epitaphium. Citat ad teſtimonium Euſt. Swart Anal. III. 11.

Cadavera tamen maxime honeſtiorum ad rogum lecticis opertis, id eſt, tectis elata, abunde probat Ramirez. ad *Martial.* 2. *Ep.* 8. Qui quidem eo loco aperte ſcribit fuiſſe octophoros, ſiquidem illæ lecticæ erant

 laxiſſi-

laxiſſimæ, quibus faſtuoſi utebantur.

Ex dictis cum abunde conſtet; duplici lectica funera fuiſſe elata vix a me impetrare poſſum, ut ſubſcribam ſententiæ Schefferi, putantis nulla omnino funera tectis lecticis fuiſſe elata. De Re Veh. *lib.* 2. *cap.* 5. *in f.*

Non tamen omnes ſine perſonarum diſcrimine lectica efferebantur: verum ſoli honeſtiores, nobiliores ditioreſque. Et quidem lectica octophoro. Tenuiores vero & infimæ ſortis homines *Sandapila*, quatuor tantum viris portari ſolita. V. Daniel. Claſenius in Theol. Gentil. lib. 1. cap. 10. §. 24. (In Theſ. Ant. Græc. Celeb. Gron. Tom. 7. p. 56.) Vocatur alio nomine generali *feretrum* Latinis, Græcis φέρτρον & φέρετρον. φέρετρον autem dicitur ἀπὸ τοῦ φέρειν, i. e. a ferendo. V. Salmaſ. in Exercit. Plini. pag. 859. Iſidorus Orig. XX. 11.

Ut

Ut adeo merito ſit ridendum Iſidori in hac etymologia inveſtiganda acre judicium, *l.* 18. *Orig. c.* 9. *Pharetra*, inquit, *ſagittarum theca a ferendo jacula dicta, ſicut & pheretrum, ubi funus ducitur: quæ ideo Etymologiam communem habent, quia pharetra mortem, pheretrum mortuum portat. Pheretrum* autem latine *Laturam* dixeris. Sic Gloſſar. Græcolatinum: *Latura*, φέρετρον. Quod jam notatum video a Kirchmanno *de Fun. Rom. cap.* 9.

Dixi quod feretro efferebantur inferioris notæ homines. Conſtantinopoli tamen, quæ pons ac porta veluti utriuſque Orbis, tria cæteris prætioſiora erant ejuſmodi feretra, quorum uſus in honoratiorum funeribus, *ſtudii* nempe, *Stephani*, & *Majoris eccleſiæ*, quod erat auro intertextum, de quibus Juſtinianus *Novella* 59. *c.* 6. V. Quenſtedt. de ſepult. Vet. cap. 6. (In Theſ. Ant. Græc. Celeberrimi Gronovii Tom. 11. pag. 1244.) Feretrum de quo

loquimur, *ſupremi funeris inſtrumen-tum*, vocat S. Ambroſius in cap. 7 Lucæ.

Alio nomine *feretrum* Latinis di-citur, *Capulus*, unde autem hoc no-men ſortiatur, haud conſtat inter eruditos: Iſidorus *Orig. lib.* 20. *c.* 11 ex eo accepiſſe putat, *quod ſupra ca-pita hominum feratur.* Melius autem ſenſiſſe Domin. Nicolai, de Luctu Græcorum *cap.* 7. *p.* 90. Videntur gloſſarum veterum conſarcinatores qui *Kapulum*, in quo mortui defe-runtur cum Kappa ſcribunt, ut di-ſtinguatur a *Capulo enſis*, qui a *capien-do* dictus eſt, quod capiatur. *Ca-pulum* autem *moriturum* ex Græco Κάπυλος quæ præſepe & φάτνην di-ctum putant. Servius *in II. Æneid* deducit, *ab eo quod corpus capiat.* Cu-jus ſententiæ ſubſcribit Nonius Marcellus *de propriet. ſerm. cap.* 1. § 13. *Capulum*, ait, *dicitur quod ali-quam rem capiat: Nam* ſarcophagum id eſt, *ſepulchrum capulum veteres dic-*

volunt

volunt, quod corpus capiat: Quam ſententiam licet etiam diſplicere videam Salmaſio *Exerc. Plin. Fol.* (*m*) 848. Mihi tamen ex hiſce tribus maxime arridet. Quod etiam voluiſſe videtur Feſtus, cum ita habet: *Capulum & manubrium gladii vocatur, & id quo mortui efferuntur, utrumque a capiendo dictum.* Quidquid ſit illud conſtat a *capulo* deſcendere vocem *Capularis.* Et exinde Plaut. Mil. Glor. III. 1. 33.

—— Itan' ego tibi videor oppido Acheronticus
Tam capularis?

id eſt, capulo vicinus, jamjam in Proſerpinæ peculio connumerandus. Apud eundem Aſin. v. 2. ℣ſ. 42. Artemona anus maritum ſuum Demænetum vocat *capuli decus.* De Capulo vide quæ docte notavit, *Muſarum illud decus inclytum*, Ampliſſimus, Gisbertus Cuperus *Obſerv. lib. 2. cap.* 9. Proprie autem feretra illa, quibus plebejorum cadavera de-

portabantur *ſandapilæ* dicuntur. Fulgentius in libello de priſco ſermone ad Chalcidium Grammaticum. *Sandapilæ antiqui dici voluerunt, feretrum mortuorum i. e. loculum, in quo non nobilium corpora, ſed plebejorum atque damnatorum cadavera portabantur.* Salmaſ. in Exerc. Plin. pag. 848. Sandapila eſt feretrum quo mortuorum pauperum cadavera ad ſepeliendum ejiciuntur, ſine ditiori apparatu, dicta *ſandapila*, quaſi *ſine dapila*. Erat Sandapila ſimplex tantum arca ex tabulis & aſſeribus compacta, quare *vilis arca* Horat. I. Sat. 8. Et Lucan. lib. 8. de Pompejo.

Da vilem magno plebeji funeris arcam
Quæ lacerum corpus ſiccos effundat in ignes.

Et iterum Horat. lib. 1. Sat. 8.

Huc prius anguſtis ejecta cadavera cellis
Conſervus vili portanda locabat in arca.

Eandem ſandapilam *orcinianam ſpondam*

dam nominat Martialis *lib.* 10. *Epigr.* 5. *Orciniana qui feruntur in Sponda.* *Sponda* autem hæc dicta *Orciniana*, quod ea efferebantur *Orcini liberti* (i.e. *qui teſtamento manumiſſi, & libertate donati*) *feralem lectum ſui domini præcedebant pileati, aut alba lana capitibus velatis*, *uti* obſervavit Alex. ab Alex. Gen. dier. *lib.* 3. *cap.* 7. V. Meurſ. de *Fun. cap.* 20. & Quenſt. *de Sep. Vet. cap.* 6. *p.* 133. Feretrorum autem talem diſcrimen, (ut mox dixi) etiam apud Maſilienſes fuiſſe obſervatum prodit Val. Max. *lib.* 2. *cap.* 6. *duæ etiam ante portas eorum arcæ jacent: altera qua libertorum, altera qua ſervorum corpora ad ſepulturam plauſtro devehuntur.*
Poſteriore ævo ſandapila ſive arca etiam *Bacca* dici cœpit. Gloſſæ Iſidori, *Bacca*, *Capulus in quo mortui deferuntur*. Meurſ. de Funere cap. 20.

Qui has ſandapilas ferebant (forſan & qui compingebant) *Sandapilarii* dicti. Ita eos qui geſtabant vo-

cat Sidonius *lib.* 2. *epiſt.* 8. dicebantur & *Sandapelones*, ut in Gloſſarr *Sandapelo* νεκροθάπτης. Appellarunt etiam *Barginnas*: Gloſſarium vetus; *Barginna* νεκροφόρος Βάρβαρος, προσφώνησις Βαρβάρε.

Feretrorum autem potiſſimum duo erant genera: *Lectica* & *Sandapila*. Uti ſcitiſſime monet Kirchm. de Fun. II. 9.

Demonſtravi hactenus lecticis elatos mortuos, ſciendum tamen etiam eſt, honeſtiores & opulentiores amicos ſuos equis vel lecticis fuiſſe proſecutos, ut monet Meurſ. de Fun. c. 9.

CAP. XIII.

De Lecticariis, ſeu Lecticarum Bajulis.

SI quidem diximus ante, quod lectica hac reſupini ferebantur videamus nunc qui geſtatio hæc fieri ſolebat. Is qui vehebatur, ſuccollobatur à pueris huic operi pro-

priis

priis, (mulieribus namque geſtari nefas habebatur. Novarinus Schediaſm. XII. 20.) Hinc ſellam geſtatoriam eam vocat. Suet. in Neron. Et Curt. 7. 6. *ſubire Lecticam* id eſt humeris portare. v. Sertorius Urſatus de Not. Rom. in voce *Lectic.*

Probatur id præterea ex Seneca *Epiſt.* 81. *Item de omnibus iſtis dicas, quos ſupra capita hominum, ſupraque turbam, delicatos, lectica ſuſpendit.* Et Juvenal. *Sat.* 6.

Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum.

Ad quem locum ita Scholiaſtes: *vehitur*, id eſt, *lectica.* Falſum igitur fuiſſe patet Gonſalium ad Petronium *p.* 103. putantem, *lora a collo pendentia ponderi minori, cum labore ſublevando interdum ſuperaddita.* Minime enim id probat locus Martialis *lib.* 2. *Epigr. In fictum divitem.*

Quem grex togatus ſequitur & capillatus,
Recenſque ſella, linteiſque, loriſque.

Primo

Primo enim notandum monet Scheff. de Re Veh. 2. 5. non hic agi de *lectica*, ſed *ſella*. Secundo, lora illa non dicuntur facere ad geſtationem, ſed ſpectare ad ſellam, propter ipſa linteaque; ſella nominatur recens, ut adeo ille locus ad probandum hoc non valeat.

Servi illi vel pueri a lectica quam geſtabant dicebantur lecticarii. Horum frequentiſſima fit mentio apud Scriptores: Cicero in Epiſt. ad Famil. 4. 12. *Coactus ſum in eadem lectica, qua ipſe delatus eram, meiſque lecticariis in urbem deferre*. Suet. in Calig. 58. *Ad primum tumultum lecticarii cum aſſeribus accurrerunt*. Hi lecticarii vocantur *Geruli* Senecæ de Benef. III. 28. *Quo tandem raperis ab iſtis gerulis, cubile iſtud tuum*, id eſt, lecticam in qua cubas, *circumferentibus*. Meminit quoque eorum Seneca de Conſtant. 14. *Quid refert, quantum habeat, quot lecticarios, quam oneratas aures, quam laxam ſellam.*

Idem

Idem *lib.* 4. *Epiſt.* 29. *Non turba ſervorum lecticam tuam per itinera urbana & peregrina portantium.* Et Tacitus cum Galbæ Cæſaris mortem deſcribit: *Omnes ait, diffugerant, præter unum centurionem, nomine Sempronium, qui nullo privatim beneficio, ſed honeſtati, majeſtatique Imperatoriæ opem ferens ſolus ſtet ante lecticam: ſublataque voce centurali, jubebant milites irruentes parcere Imperatori, & cum diu repugnaſſet, tandem corruit. Tunc Galba trepidatione lecticariorum projectus e ſella. Noti ſunt lecticarii ex inſcriptionibus vetuſtis.* Reineſius XI. 104.

O S S A
T E R E N T I Æ H I R E
S A L V I Æ
A. T E R E N T I V S. A. L.
S E L E V C. L E C T I C A R.

Alias duas habet Spon. in *Miſcell. Erud. Ant. pag.* 223. prima ita habet.

F E L I X L E C T I C A R I V S
R E G I L L I.

Altera

Altera

M. VLPIVS AVG. L. ERASTVS EX N. DECVRIONIS LECTICARIORVM FECIT EX PERMISSO DECRETI IRI POSTEA JANVARIVS ET SATVRIO SCRIBÆ LECTICARIORVM EX PERMISSV PONTIFICIORVM FECERVNT SIBI ET SVIS EX DECRETO PONTIFICVM ITEM SATVRIO COJVGI SVÆ AVRELIÆ SEBERÆ BENE FECISSE JANVARIVS AVRELIO FORTVNATO ET VICTORINO FILIIS BENE FECIT SATVRIO FELICI ALVMNO BENE FECISSE POSTERISQVE EORVM.

Et Gruterus pag. MCXI. n. 4.

DIOGENES. POMP. LECTIC.
JOLE. POMP. TONTR.

Ubi licet *Lecticariam* intelligat Illuſtriſſimus Scaliger, pace tanti viri dixero, lego *Lecticarius*, quia Diogenes nomen viri eſt.

Imo

Imo *corporis Lecticariorum* mentio ſit apud Gruterum DXCIX. n. 11.

DIS. M. TI. CLAUDIO. AUG.
LIB. TIGRANO.
EX. CORPORE. LECTICARIO-
RUM. CÆSARIS. VIX.
ANNIS. LXXXV. M. LICINIUS.
ATIMETUS.
ET. SEXTIA. FELIX. BENE.
MERENTI. POSUERUNT.

Tigranus hic libertus eſt, & tamen ex Lecticariorum corpore, qui Cæſari miniſtrabant. Quamobrem ſe neſcire, ait Scheff. de Re Veh. I. 10. qua ratione Lipſius ex hoc lapide probare conatus ſit, lecticariorum miniſteria inter ſervilia fuiſſe, licet enim ita obtinuerit apud privatos, tamen aliter publice ſe res habuit.

Quod autem dicitur in hac inſcriptione, fuiſſe illum Claudium ex corpore lecticariorum Cæſaris, anceps me dubitatio torquet, an ſpectet eo, ut conſtet Cæſarem ejuſmodi

modi habuiſſe corpus in uſus ſuos privatos, an vero potius id corpus Cæſaris, Cæſaris auctoritate fuiſſe conſtitutum in uſus publicos & communes. Huic enim & ſimilibus corporibus Cæſares ſuam olim dabant auctoritatem. Inde Marcianus in. *L. 3. ff. de Collegiis. Niſi ex Senatuſconſulti auctoritate vel Cæſaris collegium, vel quodcunque tale corpus coierit, contra Senatuſconſultum & mandata & conſtitutiones, collegium celebrant.* Video tamen Popmam de *Operis Servorum pag.* 47. hanc inſcriptionem intelligere de *Servis fabricatoribus lecticarum*, quod tamen ego non probo, quoad illic autem ſimul ab eo adductam *L.* 65. § . 2 *ff. de leg.* 3. concedo. Notatu quoque dignum puto eos qui erant in ejuſmodi corporibus, uno nomine *Corporatos* dictos. Ut in *L.* 4. *C. de SS. Eccleſ.*

Ejuſmodi Cæſarianorum lecticariorum adeo grande fuit agmen, ut nominibus & præpoſitis diſtingue-

guerenrentur, Pign. de Serv. pag. 275.

JCti cum ſæpiſſime lecticariorum faciant mentionem, ex ſexcentis locis pauca hæc ſeligam. Vide *l.* 8. §. 2. *de leg.* 1. *l.* 49. *pr. de leg.* 3. *l.* 13. *de Aur. & arg. leg. l.* 29. *de V. O. l.* 99. §. 4. *de leg.* 4.

Aliquando præter hos ſervos etiam alios amicitiæ officiique cauſa miniſterium hoc ſubiiſſe, docemur ex veterum monumentis. Suetonius in Claud. 10. *Ab his (militibus) impoſitus lecticæ, & quia ſervi diffugerant, viciſſim ſuccollantibus in caſtra delatus eſt.*

Hos lecticarios *ad lecticam homines* vocat Catul. Epigr. 10. Meminit etiam eorum Caſalius, de Rit. Sacr. & Prof. pag. 144. plura vide apud Pignor. de Serv. pag. 130. & 208. Et Popmam de Oper. Serv. pag. 43. Græcis *Lecticarii* vocantur φοριόφοροι: Unde Gloſſæ veteres Lat. Græc. *Lecti-*

Lecticarius φοριοφόρος, κλινοφόρος.

Præter lecticarios ſervos, quos honoratiſſimus quiſque alebat, alii quoque abjectæ conditionis fuere publici, qui mercede conducti iis eandem præſtabant operam, quibus ea non erat ſervorum copia. *Quod genus hominum cum eſſet viliſſimum & ſordidiſſimum, oculis naribuſque moleſtum, trans Tiberim fuiſſe remotum* Panvinius cenſet ex Nov. 43. Cui etiam ſuffragatur Artemidorus. lib. 1. cap. 53. *Corianiam exercere malum omnibus, corpora enim mortua abjectat cerdo, ideoque ab urbe ſecluditur.* Imo lecticarios forſan de cerdonibus accipiendos eſſe, putat Famianus Nardinus in Roma Vet. VII. 11.

Erant plerumque hi lecticarii homines robuſti quadrati ac proceri. Unde formoſos calones eos vocat Seneca. Epiſt. III. *Quoties mihi occurrit domus ſplendida, cohors culta ſervorum, lectica formoſis impoſita caloni-*

lonibus. Tales habebantur, Liburni, Cappadoces, Syri, Medi, Germani, Martialis de Syris lib. 9.

Octo Syris ſuffulta datur lectica pu-
ellis.

Et Juvenalis Sat. 7. de Medis.

——— *longo premit aſſere Medos.*

Iterum Martialis de Syris,

Canuſinatus noſtro Syrus aſſere ſudet.

Et Juvenalis *Sat*. 6.

Quam quæ longorum vehitur cervi-
ce Syrorum.

Cl. tamen Lipſius Elect. *lib*. 1. *cap*. 19. Duas tantum nationes memorat: primo, *Germanos*, quod probat ex hiſce Tertulliani lib. *de Virg. Vel. Non veſtium tædia, non Gallicos vultus, non Germanicos bajulos, quæ nuptiarum gloriam accendunt.* Et Clæmentis Alex. pædag. *lib*. 3. *cap*. 4. *Qui lecticas mulierum in altum tollant, & cum impetu bajulent Germani multi.* Adde Tacitum Hiſt. *L*. 5. *cap*. 15. *Germanos fluminibus ſuetos levitas armorum & proceritas corporum attol-*

attollit: Secundo *Liburnos*, teſtem producens Juvenalem *Sat.* 6.

——turba cedente vehetur
Dives, & ingenti curret ſuper ora Liburno.

Adde & idem alibi:

——primus clamante Liburno
Currite.

Dubius quidem eſt Lubinus ad priorem Juvenalis locum an de *lectica ipſa*, an vero de *lecticariis* ſit intelligendus locus, & *Liburnum lecticam* dictam putat, deceptus procul dubio eſt a Scholiaſte vetere qui ad d. l. ita habet: *Liburno, a lectica magna Liburnatos, & Gerulos Liburnos,* quæ verba *a lectica magna* procul dubio ita intellexit *Lubinus*, ac ſi τo *Liburno* explicarent, ideoque *Liburnum* dixit *magnam* lecticam. Verum enimvero non hæc Scholiaſtæ mens fuiſſe videtur, quaſi a *Liburno* id eſt, *lectica magna* (ſecundum Lubinum) diceretur *Liburnati*, ſeu *Liburni*, verum e contrario *Liburnos* eſſe

eſſe dixit *a lectica*. Ubi a *Lectica Liburni* ſunt *qui eam geſtant*, pari modo ut *a manu*, *a pedibus*, *a janua*, *ab epiſtolis*, *a libellis*, *a frumento*, *ab atrio*, & ſimilibus iſtius generis, pro *miniſtris ſerviſve*, *qui talia curant*, apud probatos auctores, & in inſcriptionibus antiquis occurrunt ſæpiſſimè. Indeque *Liburnata lectica* dixit Scholiaſtes Juvenalis non quod *eſſet e Liburnia*, ſed quod *a ſervis Liburnis geſtaretur*. De Capadocibus firmat id Fragmentum Petronii Traguriànum *pag.* 34. *Habebamus tunc hominem Cappadocem*, *longum*, *valde audaculum*. Et Martialis *lib*. 6. *Epigr*. 77. quando Afrum quendam & pauperem deridet, quod lectica geſtari vellet.

Cum ſis tam pauper quam nec miſerabilis Irus;
Tam Juvenis, quam nec Parthenopæus erat;
Tam fortis quam nec cum vinceret Artemidorus;

Quid te Cappadocum ſex onus eſſe
juvat?
Rideris, multo magis traduceris
Afer,
Quam nudus medio ſi ſpatiere foro.
Non aliter monſtratur Atlas cum
compare mulo,
Quaque vehit ſimilem bellua ni
gra Lybin,
Invidioſa tibi quam ſit lectica, re
quiris?
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

At Stanislaus Lobierzyckius, de lu xu Rom. lib. 1. cap. 5. plurium na tionum facit mentionem, & supe rioribus duobus a Lipſio productis quos jam indicavimus, addit *Medo* & *Syros* item *Mæſos* eodem auctor Juvenale.

——— Et duo fortes
De grege Mæſorum qui me cervic
locata
Securum jubeant clamoſo inſiſter
circo.

Intelligit igitur de *lecticariis*, id eſt *lecti*

lecticarum bajulis hunc locum Kobierzyckius, ut & Lubinus Gonſaliuſque, ſed Cl. Schefferus de *R. V.* 2. 4. ſecutus Lipſium, accipit de *ſellarum bajulis*, quod ut clarius appareat, en ipſiſſima Lipſii verba: *Nam ſellis*, ait, *deferebantur in circum ſive theatrum, & in iis etiam perſedebant.* Idque adſtruit auctoritate Suetonii. Ego vero nullam video rationem, quo minus accipiamus de *lectica*, nam minime eſt incredibile, lecticis eos vectos fuiſſe, cum jucunditatis quoque gratia (ut ante dixi) iis fuerunt uſi, quod autem ad circum vel theatrum ſe deferri jubebant, omnino factum eſt animi gratia. Aliam præterea rationem pro ſe militare exiſtimat Schefferus nempe, *nullas lecticas a duobus fuiſſe portatas*, hic autem mentionem fieri *duorum gerulorum*, cujus contrarium, quoad veteres, patet ex Petronio *cap.* 56. (de quo loco mox plura) ubi procurator inſulæ Bargates fer-

tur *a duobus ;* quoad noſtram ætatem
res eſt exploratiſſima, videmus enim
etiamnum adhuc Hagæ Comitis,
aliiſque in locis, homines in lecticii
a duobus portari, quod nec de priſc
temporibus eſt minus veroſimile.

Verum redeamus ad lecticario
noſtros, quos diximus fuiſſe *longos*
quadratos, *robuſtos*, & ἐν παρόδῳ ad
damus, quod ne his quidem con
tenta veterum (præcipue fœmina
rum) molities, voluerit *formoſos*
ſed quorſum hi *formoſi Calones* (u
cum Seneca loquar) ad explendam
ineffabilem veterum libidinem, ſe
quis enarrare poſſet illorum tempo
rum intemperantiam & laſciviam
quis tetra & horrenda illorum ſe
culorum adulteria? non tantum enim
cum formoſis lecticariis ſe comm
ſcebant fœminæ, ſed & gladiato
rum amoribus ardebant. Eorum
enim gratia, ſi quos firmo & valen
ti corpore conſpexiſſent, deſider
accenſæ, conjugia relinquebant,

cup

cupidine ſtimulante, vix non ex arena ipſa ad genialem lectum pertrahebant (de hac libidine & pluribus intollerandis extat Juven. Sat. 6.) Atque ut etiam antiqua illa, recentiorum exemplorum commemoratione condiamus, cum promptus ſit præſertim & facile in omnem libidinem efferveſcens animus muliebris, referre lubet quædam ex Jovio in *Elog. l.* 3. de libidine mulierum Jnſubrarum, tempore Galeatii Sfortiæ. *Ea tum erat*, inquit, *ex multo otio luxuriantis ſæculi conditio, in ipſis præcipue nobilioribus matronis, ut totum pudicitiæ decus ab humanitate aulæ alienum prorſus & ſubagreſte putaretur.* Auxebat hoc malum principis libido: *Erat enim tunc vulgatum inter fœminas, nullam ex principis concubitu fieri impudicam, earumque maritos, qui ineptis hirci videri poſſint, ita excellere aureis cornibus, ut dignitate cunctos anteirent.* Acute ſatis & Conſtantinopolitanæ urbis im-

pudicos cives, & libidini deditos;
perſtrinxit Andronicus Imperator;
qui cornua cervorum inſignia in porticibus fori ſuſpendi juſſit, non ob
ſpeciem oſtendandæ magnitudinis;
ſed potius, ut fœminarum, quas
ipſe corrumpebat, & civitatis mores notaret; ſed ut ad rem redeamus, contemplabimur nunc veſtes
noſtrorum lecticariorum.

Veſtiti erant hi ſervi pœnula
colore tincta rufo, cum quia illa arceret pluviam, tum quod promiſcue
ea viatores uterentur, ut notat Pignorius de Servis. pag. 262. quapropter Seneca de Benefic. lib. 3. cap.
28. *Quo te penulati iſti, in militum
& quidem non vulgarem cultum ſubornati?* Ubi per *penulatos* iſtos Seneca
intelligit *ſervos ad Lecticam, ac militarem in modum veſtitos*, pœnulis
ſcilicet (quæ rufa veſtis erat militum.) Hanc pœnulam tunicæ, quæ
alias ſolennis ſervorum erat veſtis,
ſuperinjiciebant. Huc reſpicit Martiali

tialis in Lemmate Canuſinæ Rufæ.

Romæ magis fuſcis, veſtitur Gallia rubris
Et placet hic pueris militibuſque color.

Tunicam autem alias ſervorum ſolennem fuiſſe veſtem patet ex Priſc. *lib. 5. Vos quibus cordi eſt intra tunicam manus læva, dextra intra penum herile.* Ex Plaut. in *Amphitr. Act. 1. Sc. 1.*

Adveniſti audaciæ columen, conſuetis dolis.
SO. *Imo quidem tunicis conſutis huc advenio, non dolis.*

Phœd. lib. 2. Fabular. de Atrienſe.

Qui tunica ab humeris linteo peluſio
Erat deſtricta ——

Juven. *Sat.* 6. ℣. 475.

—— *ponunt*
Coſmetæ tunicas. ——

Et idem *Sat.* 1. ℣. 93.

—— *Simplexne furor ſeſtertia centum*
Perdere, & horrenti tunicam non reddere ſervo.

Sic & Gellius *lib. 1. cap. ult.*

Plutarchus, ſervo ſuo, nequam homini & contumaci, ſed libris diſputationibuſque philoſophiæ aures imbutas habenti, tunica detrahi, ob neſcio quod delictum, cædique eum loro juſſit.


Aperte *Syros* a pœnula Canuſinâ, nomen a Canuſino oppido, ubi contexebantur, *Salm. ad Tertull. de Pall. pag.* 8. referente, *canuſinatos* appellat hoc verſu.

Ut canuſinatus noſtro Syrus aſſere ſudet.

Alii autem a lana Canuſina Canuſinatos appellatos contendunt, & ſive dicamus *Canuſina* ſive *pœnula* idem eſſe dicunt. plura vide apud Bartolini. de *pœnula cap. 5. &* 8. & Rubenium, Elect. lib. 2. cap. 12. Lipſium in not. ad d. Senecæ locum. Ferrarium, de Re Veſt. p. 2. lib. 2. cap. 8. Et in Analect. cap. 7. Oiſelium, in notis ad Gell. lib. 13 cap. 21. alioſque viros præclaros.

Sed ut magis de pœnula conſtet haud

Pag: 297.









haud gravabor figuram ejus hic apponere. En itaque pœnulæ puerilis effigiem, quam exhibet duplex marmor Patavinum, editum a Cl. Equite Sertorio Orſato, nobiſque etiam ob oculos poſitum ab Octavio Ferrario de Re Veſt. *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 8. Sed invenio hic duas pœnulas ſine, alteram cum cuculla, patet igitur bini fuiſſe generis pœnulam, Cucullus etiam pœnulæ appenſus apparet & quidem acuminatus, in ſubjecta icuncula, procul dubio Ægyptiaca, quam beneficio Equitis Joannis de Larzara, ſe habuiſſe refert Ferrar. *d. l. cap.* 7. Ex quo & nos hic viſui tuo ſiſtimus, lector. Veram quoque & juſtam pœnulæ (licet elavatæ) formam, ex Boſii *Roma ſubterranea* oſtentat. Ruberius de Re Veſt. *lib.* 1. *cap.* 6. Ex eoque nos hic. Quod ſi quis plures pœnularum figuras videre aveat, adeat ſcriptores de *Re Veſtiaria*, mox adductos.

Poſtquam diximus de habitu Gerulorum, verbo numerum, quo uſi ſint veteres in lecticaria hac geſtatione, ut ſubjiciamus, res ipſa poſtulat. V. Manutius. ad Ciceron. Epiſt. ad Famil. 4. Epiſt. 12. Beatiores *ſex* vel *octo* adhibebant: Tenuioris fortunæ homines *binis* tantum erant contenti. Aliquando & quatuor adhibebant, ita colligas ex lectica, qua philologia ſubvecta eſt in cœlos apud Marcianum l. 2. cui hos adſcribit quatuor: *Laborem*, *Amorem*, *Epimeliam*, & *Agrypniam*, nec aliter virginem decebat, ſtudioſam videlicet, minimeque delicatam.

Ligorius *de Veh. Ant. cap.* 21. ut & Gonſalius ad *Petronium c.* 56. tenuioris fortunæ homines duobus fuiſſe contentos affirmant. Primus hanc ſuam ſententiam firmat ex quodam (ut putat) Suetonii loco, in his verbis: *Martis æde lectica per publicum ſimul vectus eſt; ei ſuccollabant deni duodenive ſervi, quibus longo in itine-*

re

re vicarium in laborem allii ſuccedebant conficiebantque eo vectationis modo, & longa ſimul & inquieta, & quam libuiſſet, accelerata itinera. Verum enimvero locus hic minime, ſaltem mea opinione, pro eo facere videtur, præterquam enim quod Schefferus, in not. ad Ligor. 21. Suetonii hæc eſſe verba vere negat, reſponderi Ligorio poſſet, ſi vel maxime concedamus hunc locum eſſe Suetonii, quibus, quæſo, è verbis elicitur fuiſſe ejuſmodi lecticas, quæ a duobus portabantur hominibus, verba enim expreſſe habent: *Ei ſuccollabant deni, duodenive ſervi*, non vero *ſuccollabant duo*, quapropter de tali lectica, a duobus geſtari ſolita, nequaquam poteſt exponi, & ultra octo lecticariis raro fuere olim uſi, niſi in ſupinis delitiis, hic autem memorantur *deni, duodenive.* Hinc Suetonius, de Caligula 43. teſtatur, quod *interdum adeo ſegniter & delicate inceſſerit, ut*

 octo-

octophoro veheretur, atque appropinquanti in urbem, verri ſibi vias & conſpergi propter pulverem, exigeret. Quærenda eſt ergo melior auctoritas qua hoc confirmetur.

Secundus opinionem ſuam adſtruit, recte meo judicio & vere, ex Petronio. *cap.* 56. qui ſic habet: *Procurator inſulæ Bargates a cœna excitatus, a duobus lecticariis in mediam viam perfertur, nam erat etiam pedibus æger.* Ad quæ ita Gonſalius: *Tenuiorum olim lecticæ parvæ erant, ut commode a duobus ſervis poſſent perferri.* Sed carpit ſuper hac explicatione, quamvis ſine ratione, Gonſalium, Scheff. de *R. V.* 11. 5. Aliterque locum explicat, quando ita „ait: Hoc modo & procurator il„le ſuccollatus eſſe potuit a duobus „lecticariis, non ad lecticas feren„das, ſed lectos in triclinio curan„dos, conſtitutis, cum præſertim „excitatus a cœna dicatur. Neque „enim fieri omnino poterit, ut le-

„ctica

„ ctica etiam minima, & in ea cu-
„ bans adultæ ætatis homo a duo-
„ bus tantum recte geſtaretur. Intelligendum igitur locum exiſtimat de miniſtris tricliniorum, (quod & putaſſe video Barthium Adverſ. *lib.* 12. *cap.* 1.) eumque in finem adducit Petronii locum quendam qui ita habet, inquit: *Inſecutuſque eſt lecticarius, argentumque inter reliqua purgamenta ſcopis cœpit verrere.* Sunt forſan editiones in quibus ita habetur, ſed tum ego corruptum locum cenſeo, proque *lecticarius*, *ſuppellecticarius* legendum puto, ſed aliæ ſunt etiam editiones, quæ habent *ſuppellecticarius*, ita expreſſe etiam in illa quæ impreſſa eſt Lugduni, anno cIɔ Iɔ cxviii. p. 64. itaque legendumque omnino *lecticarius* monent, notæ variorum quæ poſt hanc editionem habentur, pag. 421. „ *Lecticarius*. Inter tot res convivii electiſſ.
„ lecticario quis locus? ſcribend. *In-*
„ *ſecutuſque eſt ſuppellecticarius*, id eſt,

 „ qui

„ qui ſuppellectilem curet, quæ
„ vox in pandect. & Gloſſ. D. pari
modo Janus Duſa in præcidaneis,
„ D. edit. pag. 493. *Inſecutuſque eſt*
„ *lecticarius, argentumque inter reli-*
„ *qua purgamenta ſcopis cœpit verrere.*
„ Inter tot res convivii multo ele-
„ ctiſſimas *Lecticario* quis locus? &
„ certe, ut, quod res eſt, fabuler.
Poterat cœna eſſe ſine illo.
„ Sed deformatus haud dubie locus,
„ & quem in decorem priſtinum non
„ aliter ſane reponi poſſe arbitror,
„ quam ſi in *lecticarii* vicem *ſuppel-*
„ *lecticarius* ſuccedat, eum dico iſtiuſ-
„ modi ſuppellectilem qui curet,
„ quique provinciæ adeo mundulæ
„ præfectus jure optimo, ſuoque
„ ipſius meritiſſimo cluat, ne vide-
„ licet abs Eucolpio & cæteris in-
„ juria, laudatus ob elegantias Do-
„ minus exiſtimetur, lecticarium
„ argento admovere auſus, ὄνον (quod
„ dicitur) πρὸς λύραν. quo quid ab-
„ ſurdius? Reſcribatur proinde: *In-*
„ *ſecu-*

„*ſecutuſque eſt ſuppellecticarius.* Quam „vocem pandectæ veteres pro Ro„mana identidem agnoſcunt, aſſe„ritque præter probæ & antiquæ fi„dei, monetæque Gloſſarium de „ſerv. illud multo elegantiſſimum, „quod rei noſtræ literariæ, in com„mune, præſertim, Antiquariæ, „gratificatus eſt non ita pridem in„duſtrioſiſſimus Typographorum „Henricus Stephanus. Similiterque hanc lectionem admittit Erhardus in Symbolis, d. editionis *pag*. 818. teſtem producens Raderum ad Martialem *lib*. 14. *Epigr*. 72.

Sponte igitur corruit præſidium quod in hoc loco poſuerat Scheff. d. l. Secundum ejus quod attinet argumentum, dum putet impoſſibile eſſe ut adultæ ætatis homo a duobus lecticariis vehatur, quam ſit fragile jam ante me oſtendiſſe puto, ſed ut occurram alicui nondum forſan hac correctione contento, paulo accuratius demonſtraturus ero, ita legi omnino

omnino debere, quia quod hic dicitur ſervorum ſuppellecticariorum erat officium vel etiam ſcopariorum; Lecticariorum autem pro miniſtro triclinii nec in Pignorio de ſervis, nec in Popma de operis ſervorum, invenio, qui procul dubio hoc non ignoraſſent, & involviſſent ſilentii peplo, ſuppellecticarii vero apud Pignorium ſunt noti *p.* 208. ſuntque iidem qui in Inſcriptionibus dicuntur *a ſuppellectile*: Ejuſmodi generis duas exhibet nobis Pignorius, quæ Romæ inventæ ſunt, quas hic proferre fas eſſe diximus. Prima ita habet.

NESTOR
L. CÆSARIS. SER.
GERMANICIANUS
A. SUPELLECTI. VIX. A. XL.

Secunda.

EUMOLPUS CÆSARIS
A. SUPPELLECTILE.

At, inquit Pignorius, in palatio fuit & SUPPELLECTICARIUS CASTRENSIS, &

DO-

DOMUS AURIF. ut indicant veteres cippi ſepulchrales.

Hi vero *ſuppellecticarii* veſtes non curabant, ſed ſuppellectilem, quibus veſtes non adnumerantur ut monet Pomponius in L. 1. *ff. de ſupell. leg. ſuppellex eſt domeſticum patrisfamilias inſtrumentum, quod neque argento, aurove facto, vel veſti adnumeratur*; quæ tamen magis dicta monet Pigronius ad regulam ſæculi ſeverioris, quam ad recentioris luxum. Veſtibus autem præerant peculiares ſervi, dicti VESTIARII. quos *domo cum omni jure ſuo, ſicut adſtructa eſt menſa legata, cedere legato* ſcripſit Julius Paulus *lib.* 3. *ſent. tit* 7. Inque inſcriptionibus vocantur *A Veſte*, & *ad Veſtem* pari modo ut *ſuppellecticarii* a *ſuppellectili*. ſic in his quos exhihet Pign d. l.

T. STATILIUS
MALCHIO
AD VESTEM.

Et

Et

BYRÆ. CANACIANÆ. LIVIÆ. AUG. SER. A. VESTE. MAGN. &c.

Item.

ARION. CÆSARIS. N. A. VESTE. MATUTINA.

OSSA

VIBIÆ. SUCCESSÆ. LIVIÆ. AUG. SER. AB. ARGENTO. POTORIO. ITEM. A. VESTE. L. VIBIUS.

Sed redeamus ad medicinam corrupto Petronii loco adhibitam, & ei aliquid addamus ut ſit fortior, & majoris effectus.

Quos hic lecticarios miniſtros tricliniorum appellat, non niſi ſub nomine plane alio, LECTISTERNIATORIS nobis occurrere memini. ut oſtenſum in Diſſert. de *Lectis*.

Accedit & alia ratio ob quam rectiſſime ita capi poteſt d. Petronii c. 56. locus, quæ elicitur ex his verbis,

bis, *a cœna excitatus a duobus lecticariis in mediam viam perfertur, nam erat pedibus æger.* Tres hic deprehendo rationes ob quas de lectica commode intelligitur, prima eſt in verbis: *a cœna*, quo tempore lectica vehi ſe patiebantur veteres, ut patet ex Diſſert. de lecticis. Secunda eſt, quod quod forſan hoc fecerit, ut occurreret morbis, & cibus melius in ventriculo concoqueretur, ope iſtius motus leviuſculi, quæ geſtatio cauſabatur. V. D. Diſſertat. Tertia erat, quod *æger eſſet pedibus*, quales lecticis uſos, dixi in eadem Diſſertat. Hæc impræſentiarum ſufficiant ad intellectum hujus loci, revertimus igitur ad numerum lecticariorum, dicimuſque plerumque adhibuiſſe ſex. Unde Græci *ἑξάφορον lectica* dicitur: Et modo *Hexaphoros*, modo *Octophoros*, pro portantium numero vocatur. Martialis lib. 1.

Cum tibi non eſſent ſex millia Cæciliane. *In-*

Ingenti late vectus es hexaphoro.

Et idem lib. 6.

— *non debes mortuus ferri hexaphoro.*

Rurſus idem alio loco.

Octophoro, ſanus portatur, Avite, Philippus

Hunc tu ſi ſanum credis, Avite, furis.

Superiora itaque abunde ſatis quum affirment, vehiculum hocce ab hominibus fuiſſe portatum, non poſſum non, quin tollam errorem Joannis Coraſii *Miſc. Jur. Civ. lib.* 3. *cap.* 20. Et Pyrrhi Ligorii, docentium lecticas octo habuiſſe rotas, ſimulque notem Ligorium in tam breviter invicem ſequentibus verbis ſibi contrarium. In principio enim *Capitis* 21. *de Vehic. Ant.* ita habet: ,, Octophoron vel Octophorum erat ,, currus cum rotis octo, unde Octo- ,, phorarius dicebatur, qui & quo- ,, piam merces conducebat. A quo- ,, vis latere rotas habebat quatuor, ,, quali

„quali apud Romanos ſolus uſus eſt „Caligula: *Paulo poſt addit*: de hoc „loquitur Suetonius in rebus Caji, „*habebatque lecticam geſtatam a ſervis* „*octo*, unde dicta fuit Octophora. „Geſtata fuit humeris &c. Quæſo quomodo hæc conveniunt, an non ipſe deſtruit in ſequentibus quod in prioribus dixerat: Inſuper loquitur de *Octophorario*, quæ ficta ab ipſo, barbaraque vox, ſcriptoribus prorſus ignota. Dicit quoque quod hoc vehiculum *eas habuerit commoditates, ut vector ubique potuerit ſtare, & in quamlibet ſpectare partem*, Unde hoc colligat neſcio, ego ſane lubens fateor me hactenus nullibi hoc reperiſſe: Affirmat porro *a mulis fuiſſe portatam lecticam*, aſt nullis auctoritatibus probat, nec tales producere potuiſſe credo, fallitur enim (ut credo) iterum Ligorius, de *Baſterna* forſan hoc legit, & ad *lecticam* tranſtulit: Baſternam enim a Burdonibus, qui latinis vetuſtioribus, ſunt

ſunt muli, fuiſſe portatam novi. Sic enim in carmine veteri de baſterna. *Hanc geminus portat, duplici ſub robore burdo.* Non vero lecticam. Id enim indicare videtur Voſſius in Etymologico, quando ait: *Baſterna in eo a lectica veterum differebat, quod illa ferretur a ſervis, hæc traheretur a burdonibus.* Aſt non ſatis caute etiam dicit Voſſius, *quod traheretur a Burdonibus*, ab iis namque fuiſſe *portatam*, abunde demonſtrant verba Salmaſii ad Lampridii Heliogabalum *cap.* 25. *Quicquid ferendo eſt* Βαςὸν *eſt dictum. Unde verbum* Βαςάζειν. *A baſto igitur baſterna*, h. e. *Φορεῖον*.

Videmus igitur differentiam inter *lecticam* & baſternam primam, quod illa portaretur ab hominibus: Hæc a jumentis. Secunda eſt, quod illa eſſet vel clauſa, vel aperta: Hæc ſemper clauſa, Baſternarum enim ubicunque ſit mentio ſemper clauſa eſt intelligenda. Unde in Epigrammate veteri. *Au*

Aurea matronas claudit baſterna pudicas;

Addam & tertiam: quod baſternæ ad ſolas pertinuerint mulieres: lecticæ vero & ad viros, & ad fœminas.

Illud tamen ſimul notandum hic eſt, quod ubicunque invenimus mentionem fieri lecticæ *Mannalis*, intelligenda omnino ſit *Baſterna.*

Dixi modo quod *a burdonibus geſtata Baſterna*, ἐν παρόδῳ igitur oſtendam craſſum Accurſii errorem, in *l.* 49. *ff. de leg.* 3. *Burdones* explicans, *baculos quibus effertur domina: eoſve qui dominam portabant.*

Dixi modo quod Ligorius exiſtimet *a mulis fuiſſe portatam lecticam*, idque de baſterna intelligendum monui, quibus tamen hoc addo, quod ſi concederem a mulis fuiſſe portatam lecticam (quod hactenus non legi) exiſtimem vero proximum, id non niſi in longiſſimis itineribus fuiſſe factum. Ab Elephantis tamen lecticas

lecticas portatas obſervo ex Plinio *lib. 8. cap. 2. Poſtea & per funes inceſſere* (Elephanti) *lecticas etiam ferentes, quaterni ſingulas.* Vel ut habent alii, *lecticis etiam ferentes.* Ubi numerus quaternarius, homines quatuor exprimere debet, quia minimum quatuor in lectica fuere (ſcilicet tali, ab Elephantis portata,) ita enim mentem eſſe Schefferi *de R. V.* 2. 5. credo. Illud autem præterea animadvertendum eſt, fuiſſe eam lecticam, non ordinarii vel recepti generis, verum admirationis & ſpectaculi cauſa ſic adornatam.

Demonſtravimus ſupra lecticarios appellatos, qui ferendis ac bajulandis lecticis inſerviebant, nunc ſubjungimus eodem verbo ſæpe & eos appellatos, qui ſellas portarent. Docet hoc dilucide Suetonius in Oth. 6. *Tunc abditus propere muliebri ſella, in caſtra contendit, ac deficientibus lecticariis, cum deſcendiſſet, curſumque cepiſſet, laxato calceo reſtitit, donec*

donec omiſſa mora ſuccollatus, & a præſente comitatu IMPERATOR conſalutatus, inter fauſtas acclamationes, ſtrictoſque gladios ad principia devenit. V. Chimentell, de *Hon. Biſell. cap.* 9. & Lipſ. *Elect.* 1. 19.

Lecticam autem (quod non prætereundum exiſtimavi) in ſignificatione plane extraordinaria pro *prædio ad quod lectica pervenitur*, invenio apud Anaſtaſium Bibl. in S. Had. pag. III. *Monaſterium*, ait, *B. Laurentii.*

--- *Simulque & lecticariam quæ vocatur Aſprula.*

Argutiſſimus & feſtiviſſimus Martialis. 12. 58.

Lecticariolas vocavit meretrices quæ cum lecticariis ſolebant conſueſcere.

Ancillariolum tua te vocat uxor, & ipſa
Lecticariola eſt: eſtis, Alauda, pares.

Quæ verba interpretatur Galliæ decus Adrianus Turnebus Adverſar

30. 26. *Lecticariola quæ ſe proſtitu[...] ſervis lecticam ſuccollantibus, quæ ſor[...] didiſſima libido eſt.* V. Gruterus i[...] tom. 1. Theſ. Critico pag. 601. Ub[...] dictus Martialis locus egregie illu[...] ſtratur.

CAP. XIV.

De Lecticariis, ſeu bajulis funerum.

HÆc de Lecticariis quibus re[...] erat cum vivis, ſupereſt ut ja[...] de illis agamus, qui mortuos cur[...] bant. Vocabantur illi modo *Veſpa[...]* modo *veſpillones*, eo quod veſpert[...] no tempore mortuos efferrent, ſe[...] ut alii volunt, veſte ſpoliarent[...] qui propter inopiam funebri pomp[...] duci non poterant. vid. Feſtus i[...] voce *Veſpa.* Voſſius in Etymolog[...] co Ling. Lat. Kippingius *Ant. Rom[...]* *lib.4. cap.6.*

Dixi de *Veſpillonibus*, qua occaſi[...] ne de varia hujus vocis ſcription[...]

qua[...]

quædam addere fas erit. Alii enim cum ſimplici liquida ſcribunt: Ut Iſidorus in Gloſſis: *Veſpilones foſſarii, qui mortuos ſepeliunt.* Nonnulli vero Veſpillo, ut Lexicon Græcolatinum vetus: νεκροθάπτης *Veſpillo, libitinarius.* Sunt etiam qui Biſpellones vel Biſpelliones νεκροθάπται, κοπιαταί, Biſpello, νεκροφόρος. In qua ſcriptione diverſam originem putat eruditiſſimus Fr. Iunius ad Tertull. de *Pall. cap.* 4. nempe a binis palliis, quod ſcilicet lugubres veſtes ſuis ſuperinducerent. Quamobrem rectiſſime carpitur a politiſſimo Kirchmanno de *Fun.* 2. 8. quod ignoraverit literarum B. & V. vicinitatem, & ſæpe, imo ſemper unam pro altera uſurpari. Stante ſententia noſtra ita eſſe dictos veſpillones (qui aliquibus etiam audiunt Veſperones) quod veſperi cadavera efferrent. Elegans de Diaulo Chirurgo Medico Veſpillone jocus eſt apud Martialem Lib. 1. Epigr. 31.

Chirurgus fuerat, nunc eſt veſpil... Diaulus:
Cœpit, quo poterat, clinicus eſſe m... do.

Diaulus enim primum chirurgus... cum inter Clinicos *lectularios* qu... vocat Pign. de Serv. pag. 74. (q... præſtantiores chirurgis) numera... vellet, nec propter ingenii ſtup... rem ad artem adſpirare poſſet, qu... ſivit aliam viam qua Clinicus fiere... factus eſt Veſpillo. Itaque circu... lectos & cum lectis habuit quod ... geret, uti medici Clinici qui le... affixos decumbentes curant, a Gr... co κλίνη, quæ vox *lectum* valet: ... ctus eſt ergo Veſpillo idemque ... cit quod fecerat Chirurgus. Et id... Lib. 1. Epigr. 48.

Nuper erat Medicus, nunc eſt V... ſpillo Diaulus,
Quod Veſpillo facit, fecerat & M... dicus.

Id eſt, antea enim vivos occid... nunc occiſos effert: ſemper illi c...

n...

non vivorum ſed mortuorum. Videmus itaque ſatis (ut puto) clare, hoſce veſpillones minoris notæ fuiſſe homines, non tamen infimæ adhuc ſortis, teſte nobis Sidonio lib. 1. *Ep. II. Solus*, inquit, *Curio meus cum adveſperaſceret, per cathedrarios ſervos veſpillonibus tetriores, domum raptus ac reportatus eſt.* Cum igitur *veſpillonibus tetriores* eos dicat Sidonius, indicat, illorum inter ſe quoad ſtatum differentiam, veſpillones nempe iis fuiſſe cultiores. Hi veſpillones mortuos e plebe in lecto efferebant ad ſepulturam, ut lecticarii in lectica. Teſte Fulgentio *de priſc. ſerm.* ex fœce fuiſſe plebis apparet ex eo, quod furto maxime dicantur fuiſſe obnoxii, quare ſi quis ſtipulatus ſpondeat furem non eſſe, veſpillonem non eſſe, utilis eſt ſtipulatio. *L. 31. ff. de Eviction.* Et ſi pollinctor mortuum ſpoliaverit, datur in Libitinarium inſtitoria actio & furti & injuriarum. *L. 5. §. 8. ff. de Inſtit.*

Act. Imo adeo odioſum erat veſpil-lonis nomen, ut ſi quis teſtamento heres inſtitutus, juſſus ſit veſpillo-nis teſtatoris nomen ferre, dignita-tis rationem habendam reſponſum ſit, & conditionem remitti. Quam vile fuerit ergo (*Cathedrariorum ſervo-rum* munus, tibi lector judicandum relinquo.

Diverſi erant *Veſpillones* a *pollincto-ribus*, quanquam & pollinctorem pro veſpillone, & hunc pro illo po-ſitum invenias. Auctore Reinero Verwei de *variis Unct. gen. Cap.* 3. (*In Synt. Diſſ. Phil.* 2. *p*. 422.) quod negare tamen video Meurſium de Funere Cap. 16. Cui & ego aſſen-tior. De veſpillonibus loquitur Sido-nii locus *lib*. 3. *Ep*. 13. *Moxque ſi-dente ſtrue torrem devolutum reddere py-ræ faſtidioſus pollinctor exhorret*. Nam proprie veſpillonum munus erat, cum pollinctores cadavera lavaſſent, unxiſſent, & coronaſſent, illa effer-re, incendere, ac ſepelire, unde &

Uſtores

Uſtores vocat Catull. *Ep.* 60. *de Ruſa & Ruſulo:*

Ab ſemiraſo tunderetur uſtore.

Et Martialis *lib.* 3. *Ep.* 93. in Vetuſtillam.

Uſtorque tedas præferat novæ nuptæ.

Turnebus *lib.* 14. *Adv. cap.* 3. ſcribit, in antiquo lexico ſe reperiſſe: *Veſpillonem eſſe ſepulcrorum violatorem, quem Græci τυμβωρύχον vocant. Quod intelligitur per antiphraſin, quaſi non ſepeliat, ſed nudet, & in latino Græco Lexico, viſpellionem, & veſpillonem. Ubi etiam exponitur ille νεκροθάπτης, hic νεκροφόρος. Ita ut ille funerator ſit, hic cadavera portet.* Pollinctor autem erat ſervus Libitinariorum, teſte Ulpiano in d. l. 5. §. 8. *ff. de Inſtit. act. Si Libitinarius, quos Græci νεκροθάπτης vocant, ſervum pollinctorem habuerit, iſque mortuum ſpoliaverit.* Sed redeo ad lecticarios, qui inventi primo memorantur a Conſtantino pio principe, ut gratuitam exportandis defunctis præſtarent operam, eamque

ob cauſam majori Eccleſiæ Conſtantinopolis DCCCCL. ergaſteria donavit, alia CL. Anaſtaſius cum quibuſdam reditibus addidit, quæ numerum MC. ergaſteriorum efficiebant, ex quorum penſionibus ſumptus funerum fiebant. *Novell.* 59. *c.* 1. *Nov. Leonis* 12. Eorum numerum cum in immenſum excreviſſet, ſtatutum eſt a Theodoſio Juniore, *l.* 4. *C. de ſacroſ. Eccleſ.* ne DCCCCL. excederent, poſtea ad MC. excreverunt, & Juſtinianus in *Nov.* 43. *in pr. de Nov.* 59 DCCC. pauciores non eſſe ſtatuit. Hi ferebant cadaver, ſepulcrum extruebant, & ſingula quæquæ curabant, unde *κο-πιάται* id eſt, *laborantes* vocantur in *Nov.* 59. in Gloſſ. Lat. Gr. *Biſpelliones* νεκροθάπται, κοπιάται. & *Biſpellio* νεκροφόρος in l. 15. Cod. Theodoſ. L. XVI. Tit. II. *Clerici vero, vel hi, quos copiatas recens uſus inſtituit nuncupari.* Creabantur a præfecto urbis Conſtantinopoli. Nullus ipſis

certus

certus locus ſuit deſtinatus, ut tamen facile inveniri poſſent, veriſimile eſt eos conſtitutum conventus locum & forte tempus habuiſſe. Vide plura apud Kirchm ann. *de Funer. Rom.* II. 8. Quenſtedt. de ſepult. Vet. 6. pag. 133. Moreſtell. in Pompa Ferali. II. 8. §. 4.

Exemplo Conſtantinopolitanorum lecticarii etiam Romæ introducti ſunt, quos Conſtantinopolitanis pauciores non fuiſſe affirmandum videtur; primo enim DCCCCL, deinde MC. fuerunt. Cum vero in tantum eorum excreviſſet numerus, ut ubivis fere proſtarent, certus illis deſignatus fuit locus, ſeu vicus, exinde *Caſtra Lecticariorum* appellatus. Vid. Panciroll. *in deſcript. urb. Rom. in regione*, 14. *Nardinus in Roma vet. lib.* 7. *cap.* II.

Ad horum lecticariorum exemplum Romæ, & multis aliis in urbibus inſtitutæ ſunt *ſodalitates mortis*, quibus mortuis ſepeliendis præcipua

cura, referente Baronio: Tom. 3. Anno CCCXXXVI. *Hanc*, inquit, *ſibi curam ſumebant ſodalitates mortis, ut nemo mortuus ſupremo funeris & ſepulchri honore careret.* Vidi. *Quenſtedt. de ſepult. Vet. cap.* 6.

Deſcriptos mox lecticarios a quibuſdam *Decanos* appellatos invenio, ut in Nov. 43. verum quinam proprie hoc nomine deſignati fuerint non convenit inter eruditos: quibuſdam volentibus *Decanum* fuiſſe, inter lecticarios ſervos primum i. e. antiquiorem: quibuſdam eum, qui decem lecticariis præerat. Utraque probabilis videatur licet opinio, poſteriorem tamen amplectimur. Decanatus enim, ut habet *Gloſſa in Rubric. tit. C. de Decanis*, *erat decem virorum ſocietas, & Decanus qui præerat.* Teſte Sertorio Urſato de notis Rom. in vocibus, *Dec. Lecticar.* in Theſ. Ant. Rom. Cl. Grævii. Tom. 11. pag. 668. horum decanorum quoque fit mentio in *L.* 4. *C. de Sacroſ.*

Eccleſ

Eccleſ. Et in veteri inſcriptione apud Pign. *de Serv. pag.* 275.

TI. CLAUDIUS.
AUG. L. QUADRATUS.
DEC. LECTICARIORUM.
BRITANNICI.

Quamvis autem horum Lecticariorum munus erat, defunctorum corpora efferre, ſæpe tamen *honoratiſſimi quique pietate, & vitæ ſanctimonia celebres, ſacerdotum propinquorumque manibus excepti perpetuis ſedibus illati ſunt*, ut loquitur Sidonius Apollinaris. lib. 2. Epiſt. 8. Sic Romualdi Abbatis S. Emmerani, qui Ratiſbonæ mortuus eſt anno domini 1007. feretro Henricus Germanorum Rex, & poſtea Imperator, proprium ſuppoſuit humerum, ut illud ad ſepulturam deferret, uti ex Arnolfo Comite refert Baronius Nazianz. in orat. de funere Baſilii. Et Epiphanius, lib. 3. tom. 1. Hæreſ. 71. ſcribunt, *mortuos in Lecticis vel lecticulis ad locum ſepulturæ mani-*

bus ſanctorum exportatos. D. Hieronym. de Paulæ matris funere. *Exhinc non ululatus, non planctus, ut inter ſeculi homines fieri ſolet, ſed Pſalmorum linguis diverſis examina concrepabant. Tranſlata eſt Epiſcoporum manibus, & cervicem feretro ſubjicientibus, cum alii pontifices lampades cereoſque præferrent, alii Choros Pſallentium ducerent.* Sic cadaver B. Fulgentii per ſacerdotes deportatum legitur in ejus vita: *Mane vero poſtquam multitudo maxima populorum de locis finitimis ad exequias venit, ſacerdotum manibus ad eccleſiam civitatis deportatus, ſortitus eſt honorabile monumentum.*

Aliquando & a filiis lectus funebris portabatur: Metellus inter felicitatis humanæ rara exempla numeratur quod præter honores ampliſſimos, & principale in Republica faſtigium, *quatuor filii, unus Conſularis & Cenſorius, alter Conſularis, tertius Conſul, quartus Candidatus conſulatus.* Vell. Pat. 1. 2. 7. Vel ut Plinianis

utar

utar verbis. *lib. 7. cap. 47. quatuor filiis illatus rogo, uno Prætore, tribus Conſularibus, duobus Triumphalibus, uno Cenſorio.* Hoc enim magis eſt feliciter de vita migrare, quam mori. Tale quidem funus Metellum decuit, qui acres innocenteſque pro Republica, Africano mortuo contentiones remiſit, cum ſuis ipſe filiis imperaſſet. *Ite filii, celebrate exequias, nunquam civis majoris funus videbitis. Sic Pauli quoque Æmilii funebri lectulo ſe ſponte ſua Macedonum legati ſubjecerunt: cum lectuli illius frons Macedonicis Triumphis eſſet adornata* (unde ſimul colligimus mortui res geſtas frontem repræſentaſſe lecti) V. Val. Max. *lib. 2. cap.* 10. Si vir conſularis eſſet referebat Togam prætextam, ſi Cenſorius purpuram, ſi Triumphalis Purpuram, ut vult Daniel Claſenius in Theol. Gent. lib. 1. cap. 10. §. 24. (In Theſ. Ant. Græc. Celeb. Gronovii Tom. 7. p. (58.) Illud etiam ſilentii peplo in-

 volve-

volvere nequeo, lactentium puerorum cadavera, ipſas matres manibus ſuis, loco feretri, ſub uberibus efferre fuiſſe ſolitas. Ut tradit Meurſ. *de Fun. cap.* 21.

Idem primum ac ſupremum officium, olim ab hæredibus præſtitum, Lyricæ feſtivitatis Anteſignano, Romanorumque Pindaro, Horatio auctore accepimus, lib. II. Sat. 5.

——— Cadaver
Unctum oleo largo nudis humeris tulit hæres.

Silentio ſane alto tranſeundi nequaquam ſunt gratiſſimi, ac maximum beneficium i. e. ſummum perſolutum pretium in memoria habentes *manumiſſi* ſervi, qui dominorum ſuorum cadavera propriis humeris in pyram detulerunt. Perſius. Sat. III. 105.

——— at illum
Heſterni capite induto ſubiere Quirites.

Quem locum erudite, ut ſolet, maxi-

maximus Caſaubonus exponens, hæc inter alia adjicit de nobilibus. *Interdum viri nobiliſſimi, etiam alieno lecto funebri humeros ſubjiciebant, ut in ea hiſtoria, quam refert Val. Max. lib.* IV. *cap.* 1. *de Scipionis Africani funere.* Q. Metellus Macedonicus, *filios ſuos monuit ut funebri ejus lecto humeros ſubjicerent, atque huic exequiarum, illum honorem vocis adjecit, non fore, ut poſtea id officium ab illis viro majori præſtari poſſet.* Plin. VII. 44.

Tandem ipſe populus, propenſo in defunctos amore & obſervantia, eos propriis humeris efferebant. De Trebio, qui in ædilitate aſſibus populo frumentum præſtitit, reliquit Plinius. Hiſt. Nat XVIII. 3. præter dicatas ei in capitolio ac palatio ſtatuas, *ipſum ſupremo die populi humeris portatum in rogum.*

Hunc quoque morem humeris efferendi mortuos, non Romanis tantum ſed & Judæis in uſu fuiſſe, diſco

ex

ex Schikardo de *Jure Regio Hebræorum Cap.6. pag. 160. Regum funera, fuerunt in humeris etiam longiſſimam ſæpe viam exportata: qui honor ne malis quidem regibus & odio habitis publice fuit denegatus. Cujus humanitatis notabile ſpecimen ediderunt Phariſæi poſt fata Jannai.* Elatum ſic eſſe Herodem, per ducenta ſtadia, itinere ſeſquitriduano, poſt pauca ex Joſepho de Bello *lib.* 1. *C. ult. refert* inquiens, *Herodem Magnates Iſrael ferebant ſuis humeris, tarde ac graviter incedentes, quod nulli alii regum ita factum.* Hinc quoque Βαςαζόντων mentio fit. *Luc.* 7. 14.

CAP. XV.

De Lecticarum Confectoribus ſeu Fabricatoribus, aliiſque ad hanc materiam pertinentibus.

POſtremo, plura licet deeſſe non diffitear, coronidis loco adjicere fuit

fuit viſum, (1.) Lecticarum hactenus prolixe deſcriptarum confectores quo veniant nomine. Iſidoro, quem pleraque vetuſtiſſimis exſcripſiſſe conſtat, in Gloſſario minime contemnendo, (dignum enim viri clariſſimi Johan. Lud. de Lacerda, Bon. Vulcanius olim, nuperrime vero Cl. Grævius aliique plures cenſuerunt, in quod bonas horas collocarent) audit *Lecticalis*, qui lectulos facit. Gloſſatori Cyrillo optimo, *lectarius* κλινόποιος. Imperator vero Conſtantinus *Lecticarios* appellare maluit: *l. 1. C. de Excuſat. Artif. Architecti, medici, pictores, ſtatuarii, marmorarii, lecticarii ſeu arcarii.* Et Marcianus JCtus in *L. 65. §. 1. & 2. ff. de leg. 3. Si ex officio quis ad artificium tranſierit, quidam recte putant, legatum extingui: quia officium artificio mutatur, non idem e contrario, cum lecticarius cocus poſtea factus eſt. §. 2. Si unus ſervus plura artificia ſciat, & alii coci legati fuerunt, alii*

alii textores, alii lecticarii, ei cedere ſervum ſciendum eſt, cui legati ſunt, in quo artificio plerumque verſabatur.

(2.) Id quod in præcedentibus monere oblitus eram, aliquando per vocem *cathedram* intelligi debere *lecticam*, ut in illo Juvenalis Sat. 1. ỷ. 64.

— *Cum jam ſexta cervice feratur*
Hinc atque inde patens, ac nuda pœnè cathedra
Signator, ----

Patet quam clariſſime ex hoc loco, per *Cathedram* hic debere intelligi *Lecticam*, uti etiam id explicat Scholiaſtes vetus, quando ita ait. *Sexta cervice; lectica, faciente luxuria, a ſex hominibus portabatur.* Quoniam vero magna eſt differentia inter vocabula *Cathedra* & *Lectica*, ut & inter ipſa vehicula proprie ſumpta, quidam eruditi difficultatem faciunt in dicta Scholiaſtis explicatione, quia cathedra dicta a κάτημαι, ſedeo, quorum ſententiam ſi quis ſequi amet,

amet, ſciat omnino tum intelligendum eſſe *Cathedram Muliebrem.* In dicto enim Juvenalis loco ſermo eſt de falſario, qui ut luxum & mollitiem, cui deditus erat, alere poſſet, per ſubſignationem adulterini teſtamenti hæreditatem alienam involavit, quapropter minime fuit inconveniens, quod Cathedram ei attribuat poëta: Molliores enim, tunc temporis, viri, uti muliebribus ſellis haud verebantur, teſtis hujus rei nobis eſt Suetonius in Otth. cap. 6. *Tunc abditus propere muliebri ſella, in caſtra contendit.* Quam hic *ſellam muliebrem* vocat Suetonius, eam apud Juvenalem audire cathedram, exiſtimo. Eſt igitur *mollis cathedra* eidem Juvenali, qui fuit molliter pro deliciis & mollitie fœminarum parata. Ejus enim verba de Hippia Mœcha famoſiſſima, Sat. 6. ℣. 90. ſic habent.

- - *Famam contempſerat olim*

Cujus

Cujus apud molles, minima eſt jactura cathedras.

Alias cathedra ubique de ſolis uſurpatur fœminis, niſi ubi reſpicitur ad mollitiem muliebrem. Sic apud Phædrum Lib. III. cap. 9.

Hi ſpeculum (in cathedra matris appoſitum fuit.)
Pueriliter ludentes forte inſpexerant.

Ita enim hic legendum monet Schefferus, alii aliter. Hinc etiam quod *Fœminea Cathedra* dicatur Martiali Lib. XII. Epigr. ad Candidum ubi agit de homine molli. Et idem lib. V. ep. in Cotilum.

Inter femineas tota qui leve cathedras
Deſidet, atque alia ſemper in aure ſonat.

V. Scheff. *de R. V.* 11. 4. Et Pitiſc. ad *Suet. in Otth. cap.* 6. (3.) Religionem ac ſuperſtitionem circa feretra, & olim & noſtris temporibus uſu receptam ac frequentem. Religioſi enim ſæculis ſuperioribus feretra ad efferenda ſanctorum emor-

tuo-

tuorum cadavera adhibita, haud aliter ac pagani in templis donaria, in eccleſiis publice colenda exponebant. Teſtes ſatis idoneos ac locupletes profert in Lexico Mediæ & Infimæ Latinitatis, diligentiſſimus Ducangius pag. Edit. FFurt. 237. tom. 2. Helgaudus in Roberto Rege Fr. *Lecticam ipſius S. Aniani a fronte auro bono & optimo & lapidibus pretioſis praoccupavit.* Hariulfus lib. 3. c. 24. *Fecerat Arnulfus Comes beatiſſimis Confeſſoribus lecticas argenteas, ubi cum honore corpora eorum ſancta condiderat.* Sugerius in Ludovico VI. pag. 313. *Sacras enim venerabiles ſacratiſſimorum corporum lecticas argenteas, quæ altari principali impoſitæ.* Adde eundem de conſecratione eccleſiæ. S. Dioniſii librum Miracul. S. Mauri Abb. c. 19. Noſtra vero memoria viguit apud Trajectinos Batavorum, niſi brevi abrogatus aut antiquatus, mos, quo nobiles, primores, divitiiſque præpollentes jubeant nova confici fe-

retra,

retra, inciſis elatorum nominibus, adinſtar monumentorum, in templis ſpectantium ac prætereuntium oculis exponenda.

Atque hæc ſunt, quæ in evolvendis Scriptoribus antiquis de *Lectis* & *Lecticis* veterum nobis occurrerunt, quæque in adverſariis noſtris notata, nunc, quantum fieri potuit in ordinem redacta Tibi, Benevole Lector, exhibere voluimus. Gratias agentes maximas Deo Ter Optimo Maximo, pro viribus nobis tam in hoc opuſculo ad finem perducendo, benigne & largiter conceſſis, ſuppliciterque orantes, ut cœptis noſtris porro adſpiret.

F I N I S.

ADDENDA

In Diſſertatione de Lectis.

PAg. 10. lin. 19. add. Caſtell. *de Feſt. pag.* 171. Meurs: *Græc. Fer. p.* 159.

Pag. 12. poſt illa verba *Matten* appellamus. Adde, de Matta vid. Savaro ad Sidonium *Lib.* 4. *Epiſt.* 34.

Pag. 17. in fine capitis ſecundi. adde: Grapaldus in Onomaſtico *Lib.* 2. *cap.* 6. *pap.* 278.

Pag. 24. in pr. poſt illa verba. Almelov. Amoen. Theolog. Philolog. pag. 208. adde. Vulgari quoque apud Græcos & Romanos artificio fulcra lectorum & ſellarum in ſphingium & Gryphum ſpeciem deformari ſolebant. Callixenus Rhodius apud Athenæum Lib. 5. Ἔκειντο δὲ καὶ κλῖναι χρυσαὶ σφιγγύποδες, ἐν ταῖς δυσὶ πλευραῖς ἑκατόν. V. Alberti Rubeni Diſ-

ſerta-

ſertatio de Gemma Tiberiana. II
Theſ. Ant. Rom. Celeb. p. m. Gra
vii Tom. 11. pag. 1334. & ſeqq.

Pag. 28. lin. 9. poſt illa verba, *cu*
citra plumea: Adde: inſpici tamen e
iam meretur elegans locus Macrob
in Saturnalibus de dicteriis Auguſti
Relata ad ſe magnitudine æris alieni
quam quidam Eques Roman. dum vixi
excedentem ducenteis celaverat, culc
tram emi cubicularem in ejus auctione ſi
juſſit, & præceptum mirantibus hanc ra
tionem reddidit. Habenda eſt ad ſomnu
culcitra, in qua ille cum tantum deb
res, dormire potuit. Plura vide apu
Grapaldum in Onomaſtico Lib. 2
cap. 6. pag. 279.

Pag. 35. lin. 14. poſt illa verb
Græca ſunt periſtromata & peripe
taſmata. Adde: Quia autem hæc pe
riſtromata aliquando erant verſico
laria & picta, notandum eſt id quo
apud Plutarchum legimus: Reg
Perſarum Themiſtoclem reſpondiſ
ſe, ſermones hominum periſtroma

ti

tis verſicoloribus perſimiles eſſe, etenim ut in illis cum extenduntur, ita & in his, formas figuraſque apparere: contractis vero abſcondi eaſdem atque corrumpi, quare ſibi tempore opus eſſe.

Pag 42 In fine capitis noni, adde: Dum de cortinis toralibuſve hic ago, haud inconveniens exiſtimo fore, ſi de conopœo quoque paucis hic diſſeruero: quod genus erat tentorii linei, lanei, vel bombycini, quod ad evitandos culices & muſcas, ſi cortinas non haberent, circa lectos apertos explicare conſueverant. Uſus eorum frequentiſſimus apud Alexandrinos fuit, qui ob Nili paludes, & vicinum mare, culicibus præ cæteris, infeſtabantur. Ut auctor eſt Herodotus & Plinius l. 9. c. 7. Κώνωψ enim Græce, latine culex, hinc *κωνωπεῖον*, velum excludendis culicibus aptum, quo lecti obtendebantur. Inde eſt quod dicit Strabo Geographici Operis XIII. p. 613. Edit Pariſ.

 ann.

ann. 1621. *Conopæum Herculem Oëtæ... colere*, quoniam eos a culicibus quo... *κώνωπας* vocabant, liberaverat.

Dixi quod conopoeum conſtaba... ex lino, lanave, ſunt qui rete fuiſſ... contendunt, id tamen haud raru... fuiſſe oportet, cum alias facile muſc... & culicibus aditus ad cubantes co... cederetur. Inter eos qui rete fuiſſ... aſſerunt eſt Commentator vetus a... Horat. Epod. 9. v. 16. *Conopoeum*, in... quit, *genus eſt retis, ad muſcas & cu... lices abigendos.* Et Scholiaſtes ad Ju... venalem Sat. 6. verſ. 80.

Ut teſtudineo tibi Lentule Conope...
Hoc eſt linum tenuiſſimis maculis na... ctum (pro quo alii legunt diſtinctum... *quia Latini Conopoeum* CULICAR... *dicunt*. Conopoei meminit & Hor... tius Epod. Ode 9. verſ. 16.

Interque ſigna, turpe, militaria
Sol adſpicit conopeum.

Indignatur hic in caſtris Antonii ... Cleopatræ etiam conopoeum, ... molle & Romanæ diſciplinæ paru...

dec...

decorum inveniri, thalamis utpote quam caſtris magis aptum. Et Propertius Lib. 3. Eleg. 10. ℣. 45.

Foedaque Tarpejo conopea tendere ſaxo.

Ad quem locum vide Scaligeri caſtigationes pag. 207. Ubi tamen male hæc Plinii Lib. 9. cap. 47. *Adeoque, nihil non gignitur in mari, ut coponarum æſtiva, animalia, pernici moleſta ſaltu, aut quæ capillus maxime telat, exiſtant.* Emendare conatus eſt: pro *coponarum æſtiva animalia* reſtituens *conopeorum* Plinii enim verba exigunt, ut non culices, ſed pulices potius pediculoſque coponarum incolas intelligamus. Uti acutiſſime animadvertit Doctiſſimus Torrentius ad Horat. Epod. Ode 9. ℣. 16. Vid. etiam Grapald. in Onomaſt. *Lib. 2. c. 6. p. 285.* Et Becmann. in Orig. voce *Culex.*

Pag. 64. lin. 3. in fine capitis duodecimi adde: quibus adjungi poteſt qui fuſe & eleganter de his cubiculariis agit Laurentius ad Phædrum Lib. 4. Fab. 5. pag. 242.

Pag. 73. lin. 12. poſt illa verba. In Theſ. Ant. Græc. Celeb. Gronovii Tom. 5. Pag. 1812. & 1813. adde: Apud Athenienſes duo lecti nuptiales ſternebantur, alter major, alter minor. Meurſ. Lect. Att. L. 2. C. 9. pag. 1813.

Pag. 74. lin. 11. poſt illa verba. *Degere more feræ*, adde; Quia autem ille lectus in quo vir & uxor dormiebant ordinario, vocabatur thalamus ἐπιθαλάμιον dicebatur ſacer hymnus in nuptiis, quale Apollo primus cecinit, cum Thetis Peleo nupſit.

Pag. 77. poſt illa verba. V. Alciatus in tit. de Verb. Signif. adde. Laurentius ad Phædrum p. 241. Et Torrent. ad Horat. Epod. Ode. 9. p. 15.

Pag. 83. Poſt illa verba: Claudius in Diatrib. de Nutric. & pædag. Cap. 4. adde. Idem circa recens natos infantes obſervarunt fœminæ Laconicæ, quia nihil magis quam eorum fortitudinem curabant. Audiamus ſuper hac re Thucididis Scholiaſten l. 2.

εὐθὺς

ἐυθὺς ὡς ἐτίκτετο τὸ παιδίον ἐν ἀσπίδι ἐτίθεσαν ἀυτὸ, καὶ δόρυ πλησίον καὶ ἐπεβοῶν, ἢ τὰν ἐπὶ τάν i. e. (Lacedæmonii) *confeſtim ſimul natus eſſet puer, in clypeo eum collocabant, & haſtam juxta, tum acclamabant: ἢ τὰν ἢ ἐπὶ τάν.* Ubi notandus omnino ille acclamandi mos.

Pag. 27. lin. 3 poſt verbum *tranſegit.* Adde. Dixi quod infans in terra ſtatuebatur, ut auſpicaretur vitalis ac rectus eſſe, addam tamen quas alii dant rationes valde probabiles: ut vocem terræ contactu acciperet infans, de qua Macrobius Lib. 1. Saturn. C. 12. Ubi terram aſſerit dictam *Opem quod ipſius auxilio vita conſtet: Fatuam, quod infantes partu editi, non prius vocem edant, quam attigerint terram.* Vel ut opem ſeu Matrem communem ſalutaret, quod perſuadet Macrobius lib. 1. c. 10. *Huic* (Terræ *Deæ Opi*) inquit, *ſedentes vota concipiunt, terramque de induſtria tangunt, demonſtrantes ipſam Matrem eſſe mortalibus appetendam.* V.

Bartolin. de puerp. Vet. Pag. 71.

Pag 139. in fine capitis decimi ſexti, adde: Videri tamen etiam poteſt Grapaldus in Onomaſtico lib. 2. pag. 208. qui elegantiſſime notat, opus hoc peregiſſe ſtructores cum fuſcinula vel furcilla e ferro argentove, quam manu ſiniſtra tenere ut ſcinderent elegantius, receptum fuiſſe aſſerit ex hiſce Martialis.

Et quæ non egeant ferro ſtructores ofellæ
Sed nec ſtructor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula diſcipulus Tripheri Doctoris.

Pag. 162. poſt locum Propertii. Adde. Plura vide apud Geierum de Luctu Hebr. pag. 329 pag. 184. poſt illa verba. Saubertum de ſacrificiis c. 26. pag. (m) 116. Edit. noviſſ. adde: Sardum de Moribus & Ritibus gentium. Cap. 20. & 26. (In Miſcell. Ital. Erud. Tom. 2. Giraldum de vario ſepeliendi Ritu. Laurentium de Conviv. Cap. 4.

ADDENDA

In Diatriba de Lecticis.

PAg. 231. in fine capitis quinti, adde: dixi *nunquam me vidiſſe aliquem iſtum Suetonii locum ita capientem.* Poſtea tamen deprehendi Torrentium ad Horatium Lib. 1. Sat 2. & ad Suetonium Cap. 78. in Auguſto. ante Clariſſimum Zurckium, eundem erraſſe errorem.

Pag 264. in fine capitis undecimi. Adde; Noxii quoque ſi fortunæ eſſent excellentiores lecticis ad ſupplicium deferebantur. Tacitus Lib. 3. Ann. Cap. 14. de Piſone, parricidii inſimulato. *Igitur inditus lecticæ, & a tribuno prætoriæ cohortis deductus eſt, vario rumoro cuſtos ſalutis an mortis exactor ſequeretur.* V. Scheff. de Re Veh. Lib. 2. cap. 5.

Pag. 307. lin. 8. poſt illa verba, ut patet ex Diſſertatione de Lecticis: Adde: Cap. 10. ibid. lin. 13. V. D. Diſſertat. adde: Cap. 9. Et lin 16. Diſſertat. adde: Cap. 8.

INDEX
RERUM & VERBORUM.

A.

ACcubitus pueris inconveniens. pag. 132.
Accubitus quinam locus digniſſimus. 117.
Accumbendi mos. 116.
Accumbendi mos in ſigmate. 119.
Adclinatorium, quid. 49.
Adverſus lectus. 65.
Ægros in templis Deorum exponebant. 247. quare. 248.
Ægri dormiebant in templis Æſculapii & Iſidis. 249. quare. ibid.
Ægroti lecticis lati. 238.
Ægrotantium lecticæ duplices. 240.
Ægrotis modus in geſtando præſcriptus. 242.
Anaclinterium quid. 49.
Aperta lectica, quæ. 195.
Apertis lecticis quænam funera elata. 267.
Aſſeres in lecticis. 205.
——— erant exemptiles. 207.
——— annulis loriſve inſerti. *ibid.*
Aurea lectica quænam. 211.

B.

Bacca. 277.
Baſterna & lectica in quo differunt. 310.

Ba-

Baſterna trahebatur a burdonibus. 311.
Biclinium. 90.

C.

Capulus. 274.
——— unde dicatur. *ibid.*
Cataſta. 144.
Cathedra pro lectica. 330.
Cauſidici geſtabantur in lecticis. 219.
——— quomodo a Cicerone dicti. *ibid.*
Cervical quid. 32.
Chriſti cum diſcipulis in ultima cœna accubitus. 109.
Clientæ ſequebantur patronos in lecticis. 223.
Clypeorum pro cunis uſus. 83.
Conſules lecticis utebantur. 218.
Corporati, quinam. 284.
Cratera. 146.
Cribra uſurpabant pro cunis. 83.
Cuba, cumba, cymba, quid. 264.
Cubicularis lectus. 2.
Cubicularii unde dicti. 58.
——— eorum officium. *ibid.*
Cubiculum pro lecto. 33.
Culcita. 27.
Culcitas infarciebant acere & glumis ſpicarum. 28.
Culcitræ plumeæ. 29.
Cuna. 78.
Cunæ. *ibid.*

Cunabula, 80.
Cunabula Græcis quomodo dicantur. 83.
Cunaria & Cunina Dea. 87.
Cunarii ſervi. 86.
Cunariæ ancillæ. *ibid.*
Cunire an latine dicatur. 86.
Cunulæ. 79.

D.

Decumbentes quinam ferebantur in lecticis. 244.
Deorum ſimulacra lecticis vehebantur. 232.
Deſperati, qui. 248.
Domeſticæ lecticæ. 259.
Dormiebant in pellibus. 25, 26, 56.
Dormiebant in templis & ſepulchris. 55.
Dormire unde dicatur. 25.

E.

Epulonum officium. 182.
Eunuchi thalami cuſtodia erat. 77.

F.

Fana ſiſtere, quid. 176.
Feneſtellæ in lecticis clauſis. 197. & 198.
Feretrum, quid. 272.
Feretrorum quot genera. 278.

Ferto-

Fertorium, quid. 247.
——— cui uſui. ibid.
Frons lecti mortui res geſtas repræſentabat. 325.
Fulcra lectorum. 19.
——— in Mercurii imaginem efficta. 23.
——— quare. ibid.
Fulcra lectorum Tricliniorum. 131.
——— ſedebant ad ea liberi. ibid.
Fulcrum pro ipſo lecto. 24.
Fundus lecticarum, ex quibus conſtabat. 205.
Funebris lectus. 147.
——— qua materia erat fartus. 151.
Furculis an uſi in portandis lecticis. 206.

G.

Galilæi lecti. 52.
Genialis lectus. 64.
——— unde dicatur. ibid.
Genius, quis, ibid.
Geſtationes. 135.
Geſtatio interior & exterior. 236. & 237.
Geſtatio quibus morbis conducebat. 241.
Geſtatio quibus in locis fieri debebat. 243. & 244.
Grabatus. 144.
Gravidæ matronæ in lecto adverſo jacebant, dicis cauſa. 71.

H.

Hoſpitibus lectos ſternebant in atrio. 57.

I.

Igneus lectus. 143.
Imagines funeribus antelatæ. 154.
Imperia. in L. 3. ff. de Supell. Leg. 45.
Inaurandi & inargentandi mos. 44.
Incubare. 54.
Incunabula. 81.
Infantes deponebant in ventilabris. 84.
——— quare, *ibid.*

L.

Laminis teſtudineis lectos inveſtiri Carbilius Pollio invenit. 22.
Larvata funera. 268.
Lecti aurei. 24.
——— argentei. *ibid.*
inargentati. 43.
inaurati. *ibid.*
gemmati, *ibid.*
e ferro confecti. 50.
lignei. 51.
e palma. *ibid.*
Lectica unde dicatur. 190.

quæ.

——— quæ. ibid.
Lectica quænam perſonæ efferebantur. 272.
Lecticarii ſervi. 280.
Lecticarii qui lectos conficiunt. 212. & 228.
Lecticarii funera efferebant. 314.
. . . . . a quo inventi. 319.
. . . . . appellabantur & Decani. 322.
Lecticariola. 313.
Lecticariorum corpus. 283.
Lecticæ ab elephantis portatæ. 312.
Lecticæ a quibus inventæ. 213.
. . . . quando uſurpari cœperint. 217.
. . . . . , quibus occaſionibus uſæ. 231.
Lecticæ aliquando lecti dicti. 260.
Lecticis apertis & tectis mortui elati. 287.
Lectiſterniator. 136.
Lectiſternium unde dictum. 168.
——— quid, ibid.
Lectiſternia uſurpandi anſa. ibid.
Lectiſternia quibus Diis habita. 176.
Lectiſternia celebrabant fœminæ. 181.
——— aliquando ipſi ſternebant ſenatores. 182.
Lectiſternia celebrabantur in templis Deorum. 179.
——— aliiſque locis. ibid.
——— non in Templo Herculis. ibid.
Lectiſterniorum origo. 171.
Lectus Libitinæ. 148.

Libur-

Liburnata lectica. 289.
Lucubratoria lectica. 259.

M.

Mannalis lectica. 311.
Magiſtratus jus dicturi lecticis aliquando utebantur. 233.
Matris lactentes pueros efferebant. 326.
Meridiabantur in lecticis. 57.
Meretrices lecticis vectæ. 224.
——— quod vetuit Domitianus. *ibid.*
Militares lecticæ. 263.
Mortui lecticis elati. 265.
Mulieres lecticis vectæ. 221.
——— etiam gravidæ. 223.

N.

Nuptialis lectus. 64.
——— a quibus ſtratus. 73.
Nutrices cubabant in veſtibulo cubiculi alumnarum. 88.

O.

Operta lectica quis primus uſus. 217.
——— utebantur ea in itineribus. 237.

P.

Pallium pro veſte ſtragula. 35.
παράβυϛος κλίνη, qualis. 72.
Pedes quot in lecticis. 208.
——— erant e ligno. *ibid.*
——— argento inducti. *ibid.*
——— ex auro. 209.
Penſiles lecti. 139.
Pilumni & Picumni lectus. 76.
Plagulæ lecticarum. 200.
Plagulæ & plagæ an diverſæ. 201.
Pluteus, quid. 17.
Podagrici lecticis uſi. 245.
Pœnula utebantur lecticarii ſervi. 294.
Portabantur in lecticis, ſub dio, & ſub tecto. 236.
Portatoria, quid. 240.
Procurare pro expiare. 255.
Profeſſores & præceptores e lecticis diſcipulos docebant. 261.
Principum, primorumque uxores lecticis uſæ. 222.
Pueri prætextati iis uſi. 225.
Pulvinar pro Lectiſternio. 173.
Pulvinos roſis infarciebant. 33.
Pulvinus, quid. 32.
Pulvinus in lecticis. 204.
Pulvinus plumeus. 32.
——— ſericus. 33.

Pulvinus in lectis tricliniaribus. 105.

Q.

Quænam gentes lecticis uſæ. 214. & 217.

R.

Recitabant ex lectis. 57.
Reſupini ferebantur in lecticis. 209.
Ruſticorum lecti. 51.

S.

Sandapila utebantur tenuioris fortunæ homines. 272.
——— unde dicta. 276.
Sandapilarii, quinam. 277.
Scamnorum uſus in aſcendendis lectis. 14.
Scaphis utebantur pro cunis. 83.
Scimpodia Græcientia, quænam. 260.
Sedebant aliquando in lecticis. 210.
Sedebant oraturi. 53.
Sedebant ad fulcra lectorum pueri. 131.
Sella & ſedes quomodo differunt. 191.
Sellæ & Lecticæ differentia. 196. & 256.
Sella procurata. 225.
Senes morbi vim præſentientes Lunæ Lectum vovebant. 54.
Servi præcedebant domini lectum. 161.
Sigma, quid. 91.

Siti-

Siticines lectum præcedebant. 163.
——— unde dicti. *ibid.*
Soleas accubituri pedibus demebant. 123.
Sponda, quid. 17.
Stadium, quid. 242.
Stadiorum quot genera. *ibid.*
Stragula lectorum ex palma. 37.
Stragula purpurea, in lectis tricliniaribus. 98.
——— purpura & auro intexta. 99.
——— e conchylio & dipapha. *ibid.*
Stragula veſtis. 35.
Stragulis aurum intexebant. 39.
Stroppus, quid. 5.
Structor. 138.
Supellecticarii. 304. & 305.

T.

Tecta lectica, qualis. 198.
Tectæ lecticæ quando in uſum venerunt. 217.
Tectis lecticis quænam funera elata. 268.
Terra communis omnium lectus. 93.
Thalamus quid. 73.
——— unde dicatur. *ibid.*
Thalamos cuſtodiebant eunuchi. 77.
Tibiarum & Tubarum an in funeribus uſus. 166.
Togas mutabant accubituri. 123.
Toralia, quænam. 39, 40.

Torus

Torus & Torulus, quid. 2. & 3.
Torus pro lecto funebri. 266.
Tricliniares lecti unde dicti. 89.
——— quales, *ibid.*
——— quomodo ſternebantur, 111.
——— ſuper quid ſternebantur. 130.
Triclinium unde dictum. 89.
Tunica veſtis ſervorum. 295.

V.

Vannis utebantur pro cunis. 83.
Valvatæ lecticæ. 201.
Velo & pellibus munita erat lectica. 197.
Veſpæ & veſpillones. 314.
——— unde dicti. 315.
Veſpillo pro pollinctore. 318.
Veſtiarii ſervi. 305.
Viri lecticis lati. 221.
Vitalis lectus. 145.
Vitrum an fuerit in feneſtris lecticarum. 199.
Volubilis lectica. 195.

FINIS.

CORRIGENDA

In Diſſertatione de Lectis.

Prior numerus *Paginam*, poſterior *Lineam* denotat

PAg. 12. lin. 19. Modo, ſemel deleatur. 13. 5. *perviligant*. l. *pervigilant*. 15. 2. altiſſimas. l. altiſſimos. 15. 22. proſus. l. prorſus. 34. l. pen. lecto, ſemel deleatur. 51. l. pen. veteros. l. veteres. 71. l. pen. atiam. l. etiam. 78. 1. Koblierzyck. l. Kobierzyck. 81. 9. diel. l. dies. 86. 10. veturn. l. verum. 89. in inſcriptione capitis, Triclinaribus l. Tricliniaribus. 92. lampridius. l. Lampridius. 202. 20. mirot l. miror. 103. 15. corrunt. l. corruunt. 104. 8. *pallium*. l. *pœnula*. 109. 8. dicitut. l. dicitur. 109. 9. *incubuiſte*. l. *incubuiſſe*. 114. 13. *quæ* l. *qui*. 117. 6. digniſſimum. l. digniſſimus. 128. l. pen. Unicui. l. unicuique. 1;7. 10. triclinum. l. triclinium. 156. 21. nominia. l. nomina. 161. 9. ſecuti. l. ſecutæ. 183. 16. epulorum l. epulonum. 184 13. Ethnc. l. Ethnic. 184. 19. Saubertus. l. Saubertum.

In

In Diatriba de Lecticis.

PAg. 198. 13. futura. l. ſutura. 211. 20. Act. 2. ſc. 2. l. Act. 2. ſc. 1. 222. 17. adapertam. l. adaperta. 226. 18. ciniflorum. l. ciniflonum. 243. 19. Cenſoria. l. Cenſorinum. 244. l. pen. jurare. l. juvare. 249. 18. Celb. l. Celeb. 250. Patavio. l. Patavii. 251. 20. provid. l. prand. 271. 8: AD. l. AT. 272. 20. του. l. τȣ̃. 273. 12. de Fun. 9. l. Lib. 2. Cap. 9. 274. 10. deleatur punctum. ibid. 16. moriturum. l. mortuorum. 275. 16. Artemona. l. Artemoria. 281. 10. centurali. l. centuriali. 285. 1. diſtinguerenrentur. l. diſtinguerentur. 286. 13. corianiam. l. coriariam. 295. 2. Romæ. l. Roma. 296. 16. Bartholini. l. Bartholinum. 297. 19. elevatæ. l. clavatæ. ibid. 21. Ruberius. l. Rubenius. 301. 20. legendumque. l. legendum. 304. 4. lecticariorum. l. lecticarium. 305. 11. pigronius. l. pignorius. pag. ult. lin. 12. tum, deleatur.